




**Io. Cratonis a Kraftheim, III. impp. Romanorum medici et
consiliarij intimi, Consiliorum & Epistolarum Medicinalium,
Liber, Ex collectaneis clariss. viri Dn. Petri Monavij Uratisl.
quondam Medici Caesarei, selectus, Et nunc primu?m a?
Laurentio Scholzio Sil. Medico Uratslaviensi, in lucem editus.**

<https://hdl.handle.net/1874/436752>



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
 - **de kopsnede**
 - **de frontsnede**
 - **de staartsnede**
 - **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

0 oct.

34


U.B.U.



302
R

Cronaca
Works 2.





Medici

Octavo n°. 34.

solvat. et tue nob̄ mīc
dona conciliet. D. ¶

Justo & asc.


Pacto munē sac*aliq.*

ati supplices te dō.

Primus c
Qā om̄ic
mārīs bārtu

A traphia vescigineus a fum
de fuscis y tunc ruporū mārī

2



N. 73. 8

IO. CRATONIS

A KRAFTHEIM,

III. IMP. ROMANORVM

MEDICI ET CONSILIARII

INTIMI,

*Consiliorum & Epistolarum Me-
dicinalium, Liber,*

Ex collectaneis clariss. viri Dn. PETRI MONA-
VII URATIS L. quondam Medici Cæsarei,
selectus, Et nunc primum à LAURENTIO
SCHOLZIO SIL. Medico Uratslavensi, in
lucem editus.



F R A N C O F U R T I ,

Apud Andreæ Wecheli hæredes,

Claudium Marnium & Joan. Aubrium:

M D X C I .

IO C R A T O N I S

U R A T I S M I N I T U R A K A

M I N I T U R A M I N I T U R A

M I N I T U R A M I N I T U R A

M I N I T U R A M I N I T U R A

Piis manibus clariss. atque excellentiss. viri, Dn. Petri Monavit
Uratisl. Sil. quondam Medicis
Casarei dignissimi, amici sui integrerrimi, ac fratris loco
dilecti,

Laurentius Scholzius Medicina
na Doctor, librum hunc Consilio
rum, & Epistolarum Medicinalium,
memoria nunquam in
teritura ergo conse
cravit.



L A V R E N T I I
S C H O L Z I I M E D I C I
U R A T I S L A V I E N S I S

Ad sanioris Medicinae cultores,

P R A E F A T I O.

QUI tota vitæ suæ curriçulo nihil prius neque antiquius habent, quam ut quacunq; tandem id ratione fiat, profint omnibus, obsint nemini, liberale, mea quidem sententia, ac laude sempererna dignissimum institutum sequuntur. Quoniam autem hęc mutua inter homines beneficentia multis ac variis modis exerceri potest, utro beneficio magis, eōne quod in contemplando ac scribendo consistit, an verò eo quod agendo perficitur, posteritati prosimus, à multis hacenus disputatū est. Verūm si ingenuè quod

P R A E F A T I O.

res est fateri volumus, concludamus necesse est, eos qui agendo de mortalium genere bene merentur, per gratam magis, magisque præsentem, ac in oculos hominum incurrentem utilitatem præstare: illos verò qui suorum, vel aliorum librorum editione publicis commodis serviant, nomenque suum, ac potius rectè faciendi, beneque de multis promerendi studium, posteris cōmendare conantur, si non adeò præsentem ac conspicuam, at certè communem magis, magisque necessariam ac perpetuam commoditatem afferre. Utroque verò modo prodeesse, licet paucissimis concessum sit, quod nimirum vita sedentaria, quæ libris ad editionem parandis inservit, & publica negotia non parum inter se adversari soleant; nonnullos tamen hoc feliciter præstitisse, quorum exemplum nos pro virili imitari decet, omnibus notum ac manifestum est. Investiganti autem mihi causam, cur post cœlestis doctrinæ studium, nihil tam proprium humanitatis atque amoris sit, quam præclarè de mortalium genere promereri, alia non occurrit, quam hominem ad evchendas

Dei

P R A E F A T I O.

Dei laudes, & ad promovendam humanæ
societatis utilitatem conditum esse, cum-
que nulla alia re ad primi illius rerum o-
mnium conditoris similitudinem pro-
piùs accedere, ejusque naturam æmulari,
quàm ipsa beneficentia posse. Huc acce-
dit immortalitatis inexhausta atque insita
omnium animis aviditas, in quam quis-
que non tam desiderio, quàm studio, non
tam sui ipsius, quàm posteritatis suæ causa
omni labore, cura & industria incumbit.
Hæc mihi cogitati, & illorum studia, quo-
rum in hunc usque diem gloria est apud
homines eruditos recordatio, memoria
repetenti, illud mihi in mentem venire
solet, nullam veræ solidæque felicitatis at-
que immortalitatis consequendæ viam
magis compendiariam esse, quàm ut o-
mnia consilia & conatus nostros ad glori-
am Dei, & ad juvandam communem ho-
minum utilitatem dirigamus. Hæc cùm
ita se habeant, candidum ac intelligen-
tem lectorem, quod utilitatis publicè pro-
vehendæ gratia, librum hunc consiliorum
Medicinalium, quibus, ut verū fatear, mi-
rifice sæpenumero, dū Medicinam facio,

P R A E F A T I O.

adjutus sum , quæq; multis ex usu fore, id
quod æqui rerum æstimatoræ jūdicabūt,
non dubito, in publicum emiserim, in ma-
lam mihi non interpretaturum partem;
sed potius me adversus censoriam quo-
rundam animadversionem dñfensurum
esse, certò mihi persuasum habeo. Cur e-
nìm mihi non liceret, quod laudatissimis
nostræ ætatis viris (quorum operam & ex-
emplum nos imitari decet) non sine lau-
de conceditur? Quod si itaque hoc no-
strum qualecunque studium bene collo-
catum, atque ab artis nostræ studiosis can-
dido animo suscepimus intellectuero, ope-
ram sedulò dabo, ut hujus argumēti mul-
ta & eximia, quæ jam in promptu habeo,
paulò pòst, Deo juvante, studiosis quo-
que communicem. Interim ut his felici-
ter fruantur ex animo opto. Et hæc ha-
bui, quod benevolo lectori, ut consilii mei
rationem plenius & rectius cognosceret,
in præsentiarum insinuare volui. Quod
restat Magnificum & Nobilissimum vi-
rum JOHANNEM BAPTISTAM
CRATONEM A KRAFTHEIM,
sacra-

tutum videtur recens, quām antiquū. Neque verò fermentatio tam hīc necessaria, quando purior tantūm succus sumitur, atque in Theriaca cui crassia omnia & copulenta induntur. In senibus & debilitatis ad \tilde{g} . 3. vel 4. in pueris ad \tilde{g} . j. vel ij. in juvenibus & morbis calidis ad \tilde{g} . vi. cum julepo rosaceo. Somnum mitem inducit, dolores lenit, æstum extinguit, Epilepticum spasmodum cohibet, non tam facultatem partium, quām vapores & spiritus morbificos congelando. Hoc experientia tale affirmare possum, vel histero dīe, absque sopore dolorem & agitationem sublatam fuisse in filia Episcopii bimula trium horarum convulsione laborante. Margaritæ cum æquali pondere nitri in furno antitypo calcinātur. Salsugine abstracta extrahitur subtilior pars cum aceto destillato, quo evaporante subsidet calx purissima aq. rosarum crebris affusionibus ablueda. Aliter: In aceto destillato, & spiritu vini generosissimi ana, in fundo contusæ dissolvuntur. Defusione facta novum menstruum affunditur, donec penitus sint dissolutæ. In fundo subsidet

essentia abstracto phlegmate, Et hoc rectius atq; cautius. Alii alias habent præparandi rationes, sed in similibus *τετρακόνιον χεροὶ διδασκαλεῖον*. Nepēthis usus Methodicus tutus: sed & qui prudentiam Medici requirat, ut raritate ipsa magis magisq; commendetur. *πανίον γάρ η εῦ*, & præstitutio ipsa si non vires medicamenti, saltem auctoritatem, & per consequens efficaciam extenuat. Aurum inter metalla principatum obtinere, sed & inter res naturales solum immortalitate quadam præditum esse, qua de causa tacito sensu, ab omnibus, licet ignorantibus appetitur (*Γότης, ἡ φιλότης*) constat. At illud idem nisi vegetabile primū, subinde animale fiat, adeoque corpori humano simile, nullam nec corroborādi, nec curandi vim habere poterit. Proinde vulgatis quorundam solutionibus nō plus tribuendū censeo, quam auro foliato, aurive ramentis. Bibitur & devoratur aurum, aurum excernitur. Compages illæ adamantine ab igne invictæ aliquid igne potentius querunt à quo solvantur. Descriptiones aliquot habeo, tamen nullam adhuc examini subjeci. Pro tua

trarias inter se dicimus, quia non sunt accidentia, & nihilominus differentias, quibus genera dividuntur, cōtrarias esse fatemur, at non propriè. Contraria naturalia, quæ propriè ita vocantur, sese de uno subiecto invicem pellunt, in eoq; sibi succedunt, quod substancialis differentiæ nullæ facere possunt. Quomodo & cur aliqua extrema opposita medio careant, satis suprà exposui, quia sc. talia sunt habitus, termini, fines, dispositiones, quę magis & minus non recipiunt: Rectè scribis, me de contrariis habitibus, ut sanitate, & morbo disputare, te verò de habitu & privatione differere. ut vita & morte. De his quia verè & propriè contraria non sunt, non eadem dici possunt, quæ contrariis rectè cōpetunt. Vale felicissimè vir ornatissime & doctissime. Dat. 4. Septemb. Anno 1579.

Quia propere nimis scripsi, veritus sum, ne non commodè legeres. Itaque puero dedi, ut transcribat, & quia fortasse nō potero relegere, libet interim te ejus admonere, dum ipse exscribit: Rogo te, quanto possum studio, ut Domino Jacobo fratri tuo ex me salutē, quām officiocissimè di-

cas; Scribere ei decreveram, sed præter opinionem obrutus sum negotiis, ut jam non licuerit, Accedit, q; nil habui, quod præcipue scriberem. Quod si tale quid fuisset, certè somnum non cepissem, priusquam ei scripsissem. Hoc sciat me ipsum in pectore meo gerere semper, propter præclaram pietatē, aliasq; animi præstantes virtutes. propter quas ab omnibus bonis & prudentibus eum diligi & amari sentio. Scribam ei aliquando aliquid, quod ei gratum fore putem. Audio nuptias eum meditari, quam rē ei Dominus Iesus æterni patris æternus filius, verus & unicus cū patre & spiritu sancto Deus, & Dominus & Servator noster ut bene vertat, serio præcor & precabor. Die 9. Septemb. 79.

Theodorus Zuingerus D. Petro Manavio S. P. D.

De Nepenthē quod quæris, certè quò recentius, èò efficacius, propter opium & hyoscyamum quem recipit, sed & propter recentes vires eorū, quæ correctionis causa adduntur, oleum caryophyllorū, anisi, cinnamomi, subtilium scilicet partiū, tam tutum

P R A E F A T I O.

sacratissimæ Cæfareæ Majestatis Aulæ familiarem, Dominum ac Patronum meum charissimum, peramanter rogatum volo, ut me in hoc proposito meo, quod à me bono animo & studio suscepsum est, pro virili in posterum juvare velit. Idem etiam peto ab omnibus, qui studio Medico addicti sunt, ut si quæ consilia, à Germanis Medicis, iis præsertim, qui diem suum jam obierunt, conscripta, in quibus generosa aliqua remedia, aut singulares observationes continentur, in potestate suâ habent, ea mihi sincerè communicare non dedignentur, præsertim cùm isti conatus mei ad nihil aliud, quàm ad ornandos Germaniæ nostræ Medicos, eorumque memoriam ad posteritatem propagandam directi sint. Quod si, ut spero, obtinuero, ita me illi, qui hac in re mihi gratificabuntur, hoc nomine sibi devincient, ut non solùm eò celerius in reliquis partibus edendis, progressurus sim; verumetiam ut me vicissim gratum erga illos declare, eorum honorificam, si quando consilia illa ad me transmissa in

P R A E F A T I O .

apertum proferam, mentionem facturus,
ac talia, quæ ipsis non minùs, quàm hæc
mihi, grata erunt, rursus illis communica-
turus sim. Tanti certè apud me estrem
Medicam juvandi studium, ut si modò
quippiam, quod multis ex usu esse possit,
moliri ac meditari valeam, nihil unquam
laboris, etiam in hac vita mea occupatissi-
ma, intermissurus sim. Neque id immeri-
tò. Fit enim ut quo magis quisquam ejus
artis, quam cupidè exercet, ac profitetur,
amore delinitus est, eò ad ejus quoq; sum-
mam perfectionem studiofiùs contendat.
Licet autem hoc tempore cùm publico-
rum, tum privatorum laborū, multò plu-
res, proh dolor, reprehensores, quàm fide-
les adjutores, aut fautores reperiantur, ac
plerique sibi tantùm nunc prodesse stu-
deant: in summam tamen spem erigor, fo-
re aliquos, qui auxilio suo fidelissimo, quò
ad poterunt, me hac in parte adjuvare non
intermissuri sint. Confido etiam, quod ha-
ctenus privatim aliquot præstantibus Me-
dicis probatum fuit, illud idem omnibus
nunc quoque fore gratissimum, meamq;
operam apud eos, qui gustum aliquem
horum

P R A E F A T I O.

horum consiliorum perceperint, non inutiliter collocatam iri. Verum ut tandem aliquando finem huic præfationi imponā, Deo fonti & autori omnis sapientiæ, ac felicium & salutarium Medicationū, quodd & tantam remediorum varietatem ad hominum utilitatem, in natura condiderit, ac usum eorum nobis patefecerit, gratias, quas mente concipere possum, ago maximas, eundemque, ut subinde quoque aliqua præstantia ingenia, quæ conservatio ne doctrinæ, & officiis medicationis posteritati profint, excitare dignetur, ardentibus votis oro. sed de his quoque satis. Bene & feliciter valete, lectores candidissimi, ac mihi, si quid liberius aut imprudentius effutivi, ignoscite, meque vestris commodis addictum, quod mutuò facies, amate.

Uratislaviae, die v Febr. Anno

CICCI.

INDEX CONSILIORUM.

- 1, In catarrho pro quodam Nobili viro fol. t
Respondeatur in sequenti epistola ad quæ-
dam dubia præcedentis consilii 23
- 2, In catarrho pro alio quodam viro Nobili
35
- 3, In vertigine pro Nobili quodam viro 38
- 4, De epilepsia nocturna pro quodam Nobili
juvenile 39
- Interlocutoria quædam 45
- Responsio 47
- 5, De præservatione ab apoplexia 51
- 6, De compressione oris ventriculi, & spiritus
quasi interclusione pro quodam Nobili
juvenile 68
- 7, De flatulentia affectione, pro quodam Illu-
stri viro 72
- 8, In dolore dextri lateris ex inflammatione
renis dextri pro quodam Generoso domi-
no 76
- 9, De præservatione à calculo pro quodam
Nobili 79
- 10, De præcautione colici doloris pro quodam
Nobili viro 81
- 11, In paralysi ex colica 88
- 12, In

- 22, In dysenteria pro quodaam Nobili 90
23, De præservatione à lumbricis, & eorum
curatione pro quodam Generoso domino
92
24, Pro præservatione & curatione podagræ
pro quodam Episcopo 100
25, In podagra pro Barone quodā Polonico 105
26, In podagra pro quodam Generoso domino
123
27, In podagrico dolore pro quodam Magnifico
domino 127
28, In quartana pro quodam Nobili 131
29, In quartana pro alio quodam Nobili viro
133
30, De præservatione à morbis pestilentibus
137
31, In rubore faciei post cænam cum sudore,
pro quodam Nobili viro 142
32, In febri intermittente pro quodam Nobili
puero 145
33, In tumore in genu post febrim pro puerō
Nobili duodecim annorum 147
34, In Melancholia Hypochondriaca pro qua-
dam fæmina Nobili 155
35, In hæmorrhagianarum pro quadam Ge-
nerosafæmina 156

- 26, *De præservatione à Mola pro nobili quadam matrona* 160
27, *Præservatio à podagra pro quadam primaria fæmina* 164
28, *In epilepsia pro quadam nobili puerella* 166

IN



IN CATARRHO PRO QUODAM NOBILI VIRO.

CONSILIU M I.

N hac morum & judiciorum corruptione, educationis negligentia, vitæq; intemperantia, vix ullum hominis corpus invenitur perfectè atq; integrè sanum. Multi enim morborum originem ex ipso semine quasi trahunt, nō paucos mala educatio, & ineuntis ætatis labe-factatio corruptit, plurimorum valetudinem intemperatia, & morū communium peruersa imitatio debilitat atque frangit. Sunt etiā qui cùm in imperitos Medicos incidunt, importunis atque intempestiuis medicationibus graviter affliguntur. Si quidem pharmaca exhibita plus damni illicis afferunt, quam ex morbo, cuius causa medicamentum institutum fuerat, esse

A

poterat. Sed hoc quidē ut in malis feren-
dum est, illud culpandum, cùm homines
in quadam persuasione perfectæ ac inte-
græ sanitatis consequendæ corpus perpe-
tuò medicamentis vexant, & non potius
naturā quadam diligentia adjuvant. Gra-
vi enim cum periculo iis medicamentis
auxiliū adferimus, quos recta victus ratio
curare poterat. Cùm verò T. H. propter
dubiam & vacillantem valetudinem sàpē
sit configiendum ad Medicos, & ab his
auxilium petendum, pro mea erga te be-
nevolentia, tuoq; rogatu, serias cogitatio-
nes de valetudine tua curanda atq; confir-
manda fuscipere volui, & eas scripto expli-
care. Primum igitur quod in recta cura-
tione fieri necesse est, deducam omnia
symptomata ad morbum ipsum, deinde
horum causas ostendam, atq; quo pacto iis
recta victus ratione & medicatione sit oc-
currendum, persua contraria declarabo.
Symptomata autem literis atque sermo-
ne mihi cōmemorata hæc sunt; primum
conqueritur tua humanitas, te affligi ca-
tarrho, eoq; gravius laborare annis clima-
tericis atq; Enneaticis, & æstate eū quie-
scere,

Scere, hyeme, præsertim sub initium veris,
gravius molestare, tum memoriæ esse di-
minutæ læsam, stomachum interdum do-
lere; appetitiam amittere, camq; potu
quasi excitari. Alvum esse adstrictam, &
post largiorem potum solvi. In Polonia,
id est, in locis humidioribus respectu tuæ
habitationis, & melius dormire, & alvum
fluidam esse, cæterū tensionem in dextro
hypochondrio, & punctiones quasdam in
splene vobis molestiam exhibere, & horis
matutinis, in pedibus quasi spasmus vos
sentire. Hæc ferè sunt symptomata omnia
ad me perscripta. Etsi autem familiare Me-
dicis in humanis corporibus, quorum va-
letudo infirmior est, accusare Hepatis cali-
ditatem, & ventriculi frigiditatem: tamen
in T.H. verè hoc facere licet. Nam ructus
acidi, item sitis nonnunquam longè post
pastum, certissima indicia sunt debilis ca-
loris ventriculi, & tardæ coctionis. Epar
verò calidū indicant omnia penè sympto-
mata. Rectè enim catarrhus & similes af-
fectiones capitis Galenus ad epatis calidi-
tatem retulit. In tua verò humanitate non
tantum epar; verùm & renes calent, & ab

omnibus venis multum vaporum calidorum ad caput perpetuo transmittitur. Inde nil mirum cerebo existente frigido & sicco, quin multæ fluxiones concitentur. Sunt autem hujus temperaturæ cerebri notæ non obscuræ, videlicet offensio prompta à causis frigidis, inæqualis & parum firma sanitas, excrementorum inconstans evacuatio, somniq; paucitas. Item quod interdum planè caput videtur benè affectū, mox catarrhis à levissimis causis tentatur. Hæc signa omnia Galenus, & reliqui Medicis temperaturæ frigidiori & sicciori cerebri tribuunt. Etsi verò siccioris cerebri homines fidei atq; constanti memoria, & sensuum perspicuitate prædicti sunt: tamen formarum non facile susceptivum cerebrum habet, unde discendi difficultas oritur, nec nisi saepè multumq; inculcatis rebus memoria firma est. Accedit his vaporum ascensus perpetuus, inde haud dubiè cerebrum superflua quadam humiditate male afficitur, quæ memoriæ obest, & gravedinum atq; distillationum causa est. Quod verò his maximè vexatur annis climactericis & Enneaticis, familiare est
b1 et 68 omni-

omnibus hominibus, indigetque explicatio-
ne longiore, que ad Mathematicos ma-
gis, quam Medicos spectat. Cæterum ca-
tarrhum hyeme præcipue infestare, mini-
mè mirum, cum, ut Galenus inquit, etiam
in corpore tēperato pituita hyeme abun-
det. Est autem sub initiu veris fluxionum
motus vehementior, & per hyemem col-
lecti humores in capite resolvuntur atque
diffluunt, ideoq; opera danda, (quemad-
modum ostendemus) ut cause excremen-
torum quantum licet vitentur, membra
roborentur, tam demandantia, quam sus-
cipientia collecta præparentur, & tem-
pestivè educantur. Sed redeo ad sympto-
matum explicationem. Dolor stomachi,
exigua appetentia, humidi largioris tole-
rantia, & ingesto cibo cupiditas edendi,
hæc frigidorem atq; humidorem ventri-
culum indicant; Nam humidioribus gau-
dere & famem tolerare humiditatis indi-
cia sunt. Debiliorum autem coctionem
efficit debilior calor, inde flatus qui ven-
triculum distendunt, chyli descensum re-
morantur, & non raro gravissimas tensio-
nes, & obscuri quasi ventriculi ab hac do-

C O N S I L I A

Dolores excitantur. Cùm autem epar sit calidius, sæpe ad se trahit im pfectè coctū chylum in ventriculo, atq; intestinis, fiuntq; in eo obstructiones, magna etiam copia feculentorum humorum transmittitur ad splenem, inde non miçum si tensionem, & punctiones interdum in hypochondriis sentiat, & alvus siccior excrementa difficiens dejiciat. Imò hoc magis mirandum est, non succedere ejusmodi dispositioni Melancholiā, quam hypochondriacam & flatulentam, de sententia Dioclis Galenus vocat. Humiditas autem aëris, & ratio viëtus in Polonia facit ut melius dormiat atq; egerat. Tensio matutinè in musculis pedū, quam spasmus tua humanitas esse arbitratur, est familiare symptoma debilis coctionis primæ, & indiget longa explicatione. Et haud dubiè cùm nō solùm vapores; verùm etiam materiæ ad cerebrum deferantur, ad pedes etiam ejus materiæ catarrhosæ aliquid defluit, atq; in panniculis muscularum istas tensiones maturinis horis efficit, nisi per sudorem atq; halitum evacuetur, postea verò motu discutitur. Ne autem dolores articulorum, aut spa-

spasmus sequatur, optimi remedij genus est, cruditatem atq; evaporationes vitare, id quod nō solum fit medicatione; sed recta etiam victus ratione. Itaq; cùm causas morborum atq; symptomatū in hoc corpore arte inventas explicaverim, de curatione nunc agemus. Illud primū monēdum, cùm membrorum, videlicet ventriculi, epatis, cerebri, addo etiam splenis, & renū magna sit inæqualitas, & ad æquilitatem quandam perfectā vix possint reduci, integrā & planè inculpatam sanitatem non debere promittere, sed ne sepe graviter & periculosa labores, te diligentia tua, & Medico rectè viam monstrante posse consequi. In eo verò sequemur Medicorum præscriptum, illud de sententia Hippocratis atq; Platonis monentes: omnia priùs ad valetudinem rectam consequendam tentāda esse, quām corpus medicamētis laboriosē cōmovendum. Nam licet ea innoxia videātur; per pauca tamen sunt, quæ nō sumere difficile atq; laboriosum sit, tum quia naturæ, quæ materiā ad membra trahit, contrarias effectiones detrahendo habent; tum quia rarissimè tan-

cùm mali humores eorū vi evacuētur; verum etiā bonorū aliquid, & interdum spiritus ipsi aliqua ex parte decedant. Quare ut recte valeas omnis excessus aëris vitandus quantū in nobis est, ventorum & imbrium violentia fugienda. Etiamsi verò omnes cœli atq; aëris injurias effugere difficile sit; tamen aliquas possumus mediocri diligentia declinare. Lædit autem præcipuè omnis aëris intemperies eos, quibus caput infirmum est, & catatrhosis maximè vitandus nocturnus aér, & flatus australes atq; occidentales. Sed de his nō libet jam plura præcipere. Vixit ratio recta tuæ humanitati nota est, & cùm sciam te nihil facere in ea immoderatè atq; intemperanter, pauca monebo. Nam singula, quæ salubria atq; insalubria césentur, recitare supervacaneum esset, cùm ea ex omnibus scriptis cognoscere possis. Primum tua humanitas utatur cibo simplicissimo. Nam veteres, ut testatur Galenus, ita simplicitati ciborum studebāt, ut uno pastu carnes, altero solum panem ederent, sed nos convenientius pane atque carne vescimur. Si verò jam aliter consuevisti vivere, non temere

merè aut subitò , secundum præceptum Hippocratis, consueta mutabis. Illud exi-
stimabis verissimum, vix aliud æquè ad vi-
tandam cruditatem , quæ maximè noxia
est, facere, quàm si cibo simplici vtamur,
eo etiam interdum pro confuetudine de-
teriore. Secundò , etsi ventriculus humi-
dus est, & humida appetit; tamen rectiùs
meo judicio assatis , quàm elixis carnibus
uteris. Vitabis autem usum præsertim pin-
guedinum, & humida , quæ ventriculum
relaxant, quantum poteris , & pro humo-
rū redundantia cibis convenientibus ute-
ris. Sunt verò duo admodum contrarii
humores , nempe , crudi & adusti in tuo
corpore. Sed sub initium veris crudi ma-
gis moventur , sicut sub initium hyemis
adusti. De adustorum verò molestia cùm
nihil admodum conquestus sis, nunc non
aliud addam , quàm calculum, item cogi-
tationes melancholicas eorum sobolem
esse. Optimum igitur erit sub exitum au-
tumni eos contemperare, atq; expurgare,
sicut pituitos sub initium veris , ut dein-
ceps monebo. Tertiò , ordo ciborum is sit,
ut faciliora primùm sumantur , ut ova sor-

bilia ante carnes, quia hac ratione facilius cibus descendit, verum lubricantibus, ut prunis, aut aliis fructibus saepe ac multum subducenda alvo uti minimè rectum est. Relaxant enim ventriculum, quod cum fit, nulla concoctio proba effici potest. Si quidem tum ventriculum probe coquere cibum assumptum edocemur, cum is corrugatur, atque in se se contrahitur, totamque massam amplectitur atque continet, donec coquatur. Tempus autem coctionis quantitate & qualitate ciborum, item caloris naturalis ventriculi variat. Hinc vero incommoda prolixarum comessationum, item ingurgitationum conspicua sunt, & manifestum bibones atque crapulatores perpetuis cruditatibus obnoxios. Sed posteaquam cibus e ventriculo egressus fucrit atque coctus, utile erit humanitati tuae, atque etiam omnibus, quibus epar calidius, bibere, praesertim bene cocta & defecata cerevisiam. Ita enim ventriculus, ut testatur Avicenna, abluitur, intestina, quae humidio ab epatis caliditate exhauiuntur, humectantur, alvusque laxa efficitur. Chylus etiam in venas rectius penetrat, siquidem

dem potus nihil aliud est, quam nutrimentivehiculum. Vinum, præsertim meracius, propter epatis caliditatem, & capitis infirmitatem scit. T. H. sibi non prodesse. Quare non plura de his monebo. Illud unum addam, ne cibus ingeratur alius, eo, qui prius est sumptus, nondum cocto. Nam hoc cruditates audet, quemadmodum usus fumo maceratorum salorum, & immodi-
cè conditorum, humorum adustionem. Diuretica etiam cibo miscere noxium est calculosis, & tibi summoperè vitandum. Atq; hæc de victus ratione satis. De singulis enim monere non est nostri instituti. Proximum est ut de exercitio dicamus, in cuius opportuno atq; covenienti usu præcipua pars conservationis sanitatis, ut Medicomanes monent, consistit. Nam hoc innatum calorem fovet, totiusque corporis vires instaurat, superfluitates discutit, membra ad suscipiendum alimentum incitat, atque ita vires & valetudinem conservat. Genus exercitii conveniens quilibet sibi facile potest eligere. Nam alium deambulatio juvat, alium ea, quæ per manuum laborem fiunt. Ac velim T. H. singulis die-

bus ante pastum, cibo prius benè concocto, horulam unam, aut dimidiam manu ducere serram, atq; ligna secare, aut simile aliquod opus facere. Id profectò meo judicio plūs conferet, quām frequens etiam laudatissimorum medicamentorum usus. Cæterū ea exercitia, in quibus caput valde atq; totum corpus concitantur, & incalescunt, minimè judicaverim convenire. In exercitiis vitetur immodicus calor, & matutinum frigus, & nonobeat illa, nisi prius depositis excrementis, quieteat deinde horā unam priusquam comedat. A cibo tutissima est quies, sed vietandus somnus pomeridianus; quia caput replet, & catarrhosis supra modum nocet. Nec dormiat statim à cœna, verū tribus aut quatuor horis post cœnam sumptam, & utatur quantum fieri potest somno prolixo, caufasq; vigiliarum, ut curas atq; molestias, & reliquas animi perturbationes, quantum potest, deponat. Nocturnum aërem prorsus à se arceat. In cubiculo in quo dormit coquat aquam rosaceam, ut vapore exhalante contemperetur aér cubiculi. Pedes omni in septimana bis abluat sequen-

sequentि decocto, præsertim cùm vigiliæ
sunt molestæ:

24 Fol. violar.

Salicis,

Nymphæ ana M. j.

Chamæmel. M. ß.

Capit. papaver. N. iij.

Decoq. ista in sacculo, & ex decocto non
admodum calente abluantur manus atq;
pedes, quatuor horis post cœnam. Juvat
etiam, ubi valde acres vapores ascendunt
in caput, inungere nares oleo rosato com-
pleto, aut unguento rosato Mes. Frequen-
tem usum Diacodii, vel confectionis de
papavere, propter vetriculi intemperiem
non probo admodum; multò minus syru-
pi de papavere, nisi catarrhus tenuis vr-
geat. Nam cùm ventriculus sit frigidus &
humidus, & contrariis ad suā temperiem
reducendus, summopere est frigidorum,
& humidorum frequens usus vitandus.
Ideo autem Diapapaver minus lædere vi-
detur, quia accipit T. H. in forma solida.
Syrpus de papavere offendit magis sua
humiditate. Cæterū cùm tenuis iste ca-
tarrhus nimium molestus est, detineas sub

lingua noctu hos trochiscos:

24 Nucis Muscatæ 3. j.

Gummi Arabic. 3. b.

Redigantur in pulverem, & misc. eum
aq. rosar. ac f. trochisci patvi.

Hi & caput roborant, & plurimum præ-
sertim in catarrho tenui juvant. Post so-
mnum, priusquam lecto surgat, primum
tibias, deinde brachia, & quantum potest
corpus fricet. Indutus diu & leviter caput
pectine mundet, & partes cervicis, præfer-
tim post aures, abluit hac aqua:

24 Aq. rorifmar. 3 iiiij.

Euphrasiæ 3 ij.

Rosar. 3 j. Misce.

Hyeme sub carbones ponat lignum aloës,
& fumum naribus immittat. Os etiam di-
ligenter mundet, primum linguam, dein-
de palatum, & dentes; utaturq; folio salvie
ad mundandos dentes. Detineat etiam in
ore matutinis horis exiguam portiuncu-
lam radicis galangæ, & interdum galan-
gam comedat. Cæterum jentacula pror-
sus fugiat; & si pro abstersione ventriculi,
& humectâda alvo velit juscule uti, vel ad
cōtemperandos humores adustos, sumat

jus

jugum gallinaceum, aut è tenui cerevisia in-
trito pane modico cum butyro & saccha-
ro fiat jusculum, cui imponat novem aut
decem grana piperis integri, & hoc, præ-
sertim frigido tempore, forbeat. Balneis
non velim te frequenter uti, præsertim ca-
lidioribus, quia humores in capite colli-
quant, & fluxiones in toto corpore exci-
tant. Verùm híc concedo aliquid consue-
tudini, nec de balneis prolixè dispiuto. In
aqua dulci lavare non esset inconveniens,
si modò nō laderetur ventriculus. Caput
ut singulis septimanis semel sibi ablui cu-
ret moneo. In lixivio autem decoquat
Majoranam, rosas, & interdum folia scnæ.
Roborant enim ejusmodi lotiones caput,
moderatè calefaciunt, & ab excrementis
liberant. Atq; hæc etsi ad tuendam & cō-
firmandam sanitatem satis esse poterant;
tamen quia in hac membrorum intempe-
rie excrementa plura colliguntur, quam
ut ab iis natura sua vi liberari posset, inter-
dum medicamentis adjuvanda est, & mé-
brorum intemperies quantum licet cor-
rigenda. Porrò inter medicamenta solu-
tiva præcipue (id quod sæpe T. H. signifi-

cavi) commendo senam, nec cum illis sen-
tio, qui existimant senam perturbare ven-
triculum, & imbecillum reddere. Nam
cùm sicca sit, & amaritudinis non nihil, at-
que adstrictionis habeat, manifestum est
eam vētriculo prodesse. Quod verò (prē-
sertim muliebria & pituitosa corpora) epo-
to senę infuso torminibus vexantur, id hu-
morum pituitosorum vitio fit, non medi-
camenti, & interdum etiam propter via-
rum angustiam. Præparanda igitur sunt ta-
lia corpora, priusquam eis sena exhibe-
tur. Cæterū cùm sit manifestum senam
& adustos & pituitosos humores purgare,
nullum medicamentum tuo corpori con-
venientius potest inveniri. Hinc Actua-
rius, Mesue, Serapio senam cerebrū, cor,
lienem, pulmonem, & omnes corporis
sensus mundare, eorumq; incommodis
conferre testantur. Quin hoc quoque ad-
dunt, eam viscerum obstrunctiones expe-
dire, somnum retardare, & animi hilarita-
tem adferre. Sed hoc de sena satis. Propter
epatis caliditatem interdum usum Rha-
barbari, & præsertim in substantia, ut vo-
cant, probaverim. Nam ita validè eparro-
borat,

borat, & renes expurgat, denique, ut Mefues inquit, omni noxa vacat, ut quovis tempore, & omni ætati possit exhiberi. Agaricus, quia, ut Medici docent, est *medicina securitatis*, atq; ut Democritus dixit, *familiaris*, cùm ad omnes corporis partes conformitatem habeat, & à longinquo trahat, maximè sub veris initium purgatibus medicamentis admiscendus est. Cæterum hoc quoq; monendum, quibus imbecillus est ventriculus, atque frigidus & humidus, iis magis conferre medicamenta in forma solida, quam potiones, proinde eas ad purgationes annuas concedo quidem. cæterum ad subducendam alvum præscibam solida medicamenta, ut arbitror, tuta & innoxia. Purgetur autem sub initiū Octobris hoc modo : primū utatur aliquot diebus horis matutinis juscule caponis, in quo decoquantur radices petrofeline, & parcè cœnet. Deinde bibat hoc decoctū alternis diebus bis aut ter horis matutunis quatuorante prandium:

24 Paricular. min. 3j.

Rad. buglossæ 3 ſ.

Herb. scolopendri.

Ceterach an. M.ß.

Fl. violat.

Borrag. ana P. j.

Galangæ ʒj.

Decoq. in flb. j. ß. aquæ hordei f. a. ad tertia
partis consumpt. colatura fortiter express.
2 flb. j. huic add.

Syr. de pomis ʒ iij.

Misce pro tribus potionibus.

Hæc vero potio non tantum adustos hit-
mores educit; verum etiam viscera omnia
roborabit, & capiti plurimum proderit.
Porro ne quis error in usu syrapi de pomis
committatur, subjiciam descriptionem:

2 Succi pomorum dulc. flb. j.

Coq. lento igne ad medietatem; deinde
imponatur vasi vitreo, donec facta fuerit
residentia, coletur postea, & adde:

Succi borrag. ex tota planta expressi &
defecati ʒ iij.

Syr. de corticib. citri ʒ iij.

Sacchar. q. s. f. syrups, & servetur usui.

Hic syrups mirè juvat Melancholicos, &
ab adustis humorib' malè affectos. Si for-
tè deinceps alvus esset adstricta, censem
his pilulis rectè eam posse moveri, quæ
haud

haud dubiè solvent absq; molestia, & humiditatē ventriculi aliquomodo corrigēt.
Non autem nocebunt intestinis, vel epatis:
¶ Bdellii alb. mollis & pinguis.

Aloës infus. tribus diebus in lacte an. 3j.
Incorporentur simul, & reformatur pilulæ mediocres. De his pilulis capiat ante cœnam, cùm alvus adstricta est, drachmā dimidiam. Quòd si non contulerint, mede eo certidrem reddat, & ego aliud medicamenti genus reperiām, ne toties positionibus sit utendū. Aloën scio vobis molestam esse, sed hoc modo præparatā utilē futuram minimē dubito. Post purgationes verò utatur hoc electuariō hora de cubitus ad magnitudinem castaneæ:

¶ Conser. rosar. Damasc. 3*lb.*

Spec. aromat. rosat. 3*ij.*

Nucis conditæ 3*lb.*

Thuris albiss. 3*ij.*

Misce, & f. electuarium.

Hujus Electuarii usus non solum ad roborandum caput & ventriculum, atq; catarrhum minuēdum prodefesse; verum etiam in primis memoriæ conservandæ conductit. Ac sunt qui præcipue affirmant, juvari

memoriā usū thuris, si præsertim Luna in Scorpione, sumatur ter in die, hoc est, mane, hora vesperarum, & antequam se quis cubitum conferat, tria grana thuris. Sed hic usus mihi superstiosus videtur. Porrò si propter epatis, & renū caliditatē acres humores deferantur ad cerebrum, & somnum turbent, utilem atq; gratam hanc potionem futuram arbitror :

¶ Hordei mundi diutiss. cocti ȝ iij.

Amygdal.infus. in aq.rosar. ȝ ij.

Sem.melon.

Papaver.alb.an. ȝ j.

f.horum emulsio in aq.hordei ad flb. ȝ .
cui add.

Iulepi rosac. ȝ j. Misce.

Bibat hoc hordeatū in introitu lecti. Tunc enim somnum facit, & stomacho, epati, & renibus prodest. Porrò si T.H.molestatabit dolor renū atq; calculi, uteris, priùs expurgato corpore, hoc pulvere ad ȝ ij.
aut iij.

¶ Milii Solis ȝ ȝ .

Pinearum lotar.& mundat. ȝ j.

Sem. portulacæ,

Lactucæ,

Endi-

Endiviæ an. 3 ij.

Papaveris alb. 3 iij.

Sacchar. alb. ad pondus omniū. Misce.

Accipiat vel horis matutinis, vel vesperi, si modo vel nihil, vel parcissimè cœnaverit. Nam omnia, quæ renes purgant, & calculum pellunt, longissimè post pastum sumenda sunt. Et si autem in literis, quibus à me consilium petis, nullam calculi mentionem facis: tamen scio te antea de hoc conquestum, & in ista corporis dispositione planè est metuēdus. Nisi capit is atq; vētriculi rationem haberem, dę usū terebinthinæ monerem; sed abstinentum ab ea judico, nisi evidens urgeat necessitas. Nunc redeo ad purgationē vernam, quæ sub finem Ianuarii, aut initium Februarii utilis atq; necessaria est. Licet verò aliquot formulas medicamentorū antea præscripserim: tamen hanc nunc quoq; probō:

24 Passul. minor. 3 j.

Sem. anisi,

Rad. filipendulæ an. 3 ij.

Galangæ 3 j.

Flor. borrag.

Violar. ana P. j.

Zingiber 3j.

Agarici drochis. 3ij.

Decoq. in lib. j. aq. puræ ad tertiaræ partis
cōsumpt. In decocto infund. per noctem.
Fol. senæ Alexand. 3j.

Colaturæ fortiter expressæ, & 3 viij.

Cui add. syrup. de betonica 3j.

De corticibus citri 3 fl. Misce.

Hac potione duobus diebus uti poterit
horis quatuorante prandium. Deinde su-
mat hora matutina hoc electuarium, quo
roborabuntur omnia membra:

2 Conser. rosar. 3ij.

Mithridat. el. atq; nost. 3 ij.

Misc. detur in aurora.

De purgatione mense Majo, & sanguinis
missione, exponam T. H. meam senten-
tiam. Non enim satis scio an consueveris
mittere sanguinē, & docebo te de syrupo
violaceo solutivo, quē scio tibi plurimūm,
præsertim æstivo tempore profuturū. Est
etiam utilis ad solvendam alyū estivotēpore:

2 Conser. rosar.

Cichorii an. 3ij.

Rhabarb. el. & pulv. 3j. Misc. f. bo-
lus, quo utatur duabus horis ante prandiū.

Ad ex-

Ad expurgandum caput verò , priùs capite purgato , utiliter per nares hunc humorē , vel succum trahes :

¶ Pulv. nigellæ quatuor diebus in a-
ceto rosac. infus. atq; pulv. 3 j.

Aq. majorā. cū suc. herb. expr. 3 iij. misc.
Hoc non tantum caput purgabis ; verum-
etiam roborabis. sed, ut monui, non est
adhibendum, nisi corpore purgato. Ha-
bet etiam H.T. unguentum, epatis calidi-
tatem corrigens atq; roborās, quo cùm sis
feliciter sàpe usus, illud nō mitto, & porrò
te rectè uti posse existimo. Fluor sanguinis
exiguus è naribus , de quo postremo scri-
psisti , nihil admodum me movere potest,
cùm acriores vapores ascendunt & caput
petant, nō mirū si venæ aperiantur, & arbi-
tror ejus aliquas fuisse causas. Quare de va-
letudinis tuæ curatione nunc nō scribam
plura. Deum vitæ & omnis salutis fontem
& autore precor, ut te benignè conservet,
& medicationes meas gubernet, Amen.

*Respondetur in sequenti epistola ad quædam
dubia præcedentis consilii:*

Dubia vestra nō modò nihil mihi addu-
bitationis adferūt; verū etiā meā sniam cō-

firmant. Nam ego de temperatura ventriculi & epatis, ut nunc, id est, de præsenti loquor, nec omnes causas procatarcticas, quibus fortasse mutata est, & longè alia facta, ac prima constitutione fuit, inquirere possum. Ab usu Hellebori valde læsum esse ventriculum non dubito, & præsertim facultatem attractricem, quæ à talibus vehementibus medicamentis, & fortiter humores cōmoventibus ac trahentibus præcipue læditur. Inde fit ut cùm ventriculū nutrimentum trahere naturaliter conveniebat, imbutus mala qualitate medicamenti, vitiosos humores atque viribus medicamenti convenientes ad se allicit, & promptè his repletur. Quare nisi deinceps per intervalla rursus expurgeatur multorum morborum hęc vitiosa ventriculi attractio causa est. Atque hinc est quod scripsi ventriculum frigidorem esse & humidorem. Frigidorem, quia naturalis calor ventriculi est debilior. Humidorem, quia propter istam debilitatem cruditates generantur, & ventriculus non tam promptè cibum, quam vitiosos humores ad se trahit. Nunc ad primum

tuum

tuum dubium respondeo : *An non calor e-patis subveniat frigiditati ventriculi?* Respó-deo; et si epar est calidum; tamen illius calore non juvari calorem ventriculi, cùm non sit temperatus. Omnis enim actio naturalis, vel coctio, sit à calore proprio, mēbroq; insito. Atqui hic insitus calor juvatur quidem ab alterius membra calore, si sit temperatus, sin minùs offenditur. Ita in tuo corpore cùm levibus de causis calor epatis fiat immoderatus, dupli modo vētriculi obest; primò, quia calorem ejus naturalem sua immoderatione debilitat atq; dissipat: secundò, quia omentum, quod præcipue juvat & conservat calorem ventriculi, & in eo, quod plurimum prodest, absunit, & ipsum fundum ventriculi, cùm est immodicus, extenuat, ita ut propterea corpora contabescant. Ad secundum dubium : *Cur præcipiam usum piperis integri, item galanga, cùm sciam statim vos offendi usū vini meracioris.* Respondeo; cùm Galenus affirmet à confectione Diatrimon pipereon non offendri epar, quòd piperis calor non transcat primas venas, & tutò in frigiditate ventriculi exhiberi posse sentiat, rectius

nos præscripsimus usum piperis integri, item galangæ masticatæ. Nam in utroq; aromate est calor in partibus tenuibus, qui facile à calore naturali evocatur, eumq; excitat atq; juvat, ut non modo pituitam eā, quæ in ventriculo est, alteret, mutando partim in nutrimentū, partim extenuando; verum etiam expellat. Hoc autem vinum meracius nullo modo præstat. Nam non solum promptè ad epar fertur; verùm ab ipso trahitur, & secum crudos humores deducit. Unde obstrunctiones fiunt, augetur calor præternaturalis, diminuitur naturalis; hinc flatus, tensiones, & torsiones. A pipere autē integro, à galanga masticata, nihil est ejusmodi metuendū. Nam piper cùm calorem suum amisit in ventriculo, postea descensum etiam in intestinis secum adjuvat. Galanga spiritus refocillat, & cordi fonti caloris vitalis amicissima est. Inde omnes operationes actionesq; juvātur. Existimarem autē Medicum usum vini etiam meracioris, quale est *Vipachum*, aut *Pucinum*, quod vulgò *Reinfal* vocant. Si modò cibo misceatur, sanitati etiam non omnino adversum futurum, cùm quidam

Liviæ Augustæ (ut refert Plinius) octua-
ginta duos annos vitæ Pucino vino ac-
ceptos retulerit, nec alio sit usus. Verum hoo
& multò magis Cretica, Ungarica, aut Au-
striaca vina sine cibo sumpta, vel etiam
cum cibo immodicè, gravissima valetudi-
nis pericula tibi allatura essent. Sed Puci-
num vinum ad nos raro adfertur genui-
num, ideo nec clarum fit, & graviter ten-
tat caput. Ad tertium dubium: *An non*
rectius calor ventricali possit juvari per medi-
camenta forinsecus adhibita, ita ut non lœda-
tur epar, & an hæc non sint tutiora? Respon-
deo, piperis usum esse tutiorem, imò tu-
tissimum, contra calida minùs possunt ap-
plicari fundo ventriculi, ne simul lœdant
epar, id quod patet ex anatomia, & situ
membrorum. Sed ego inunctiones non
prorsus rejicio, imò me vobis quasdā for-
mulas præscripsisse puto. Non autē tutum
est, nisi evidens urgeat necessitas, ad istas
assuefacere mēbra, atq; hoc modo ea ve-
xare. Ad quartum dubiū: Arbitraris pro-
pterea alvum esse adstrictam, quia bīlis
non fertur ad intestina; sed cùm urina ex-
cernatur. Respondeo, etsi verum est bīlis

officio exturbari feces ex intestinis; tamē & hoc verisimile est, quibuscunq; epar est calidū, iis alvum esse sicciorē, & astrictiore, ppter ea quod extrahitur è chylo omne humidū, & ita excrements siccantur, difficiliusq; dejiciuntur. Nā etsi feratur bilis ad intestina; tamen si feces sunt duriores, stimulus qui inest bili ad expulsionem satis nō est; verūm humiditas aliqua requiritur, ideo cùm T. H. utitur largiore potu, alvis est fluida. Quintum dubium: Hic tamen mihi objicis: Cur igitur usum humidorū vetas? Respōdeo, Non eo inficias aliquo modo quoq; concoqui cibum jam alteratum, & aliqua ex parte coctum, ac in chylum transmutatum in intestinis; veruntamen si intempestivè feratur è ventriculo, nec in eo probè concoquatur, consequitur illud, quod Medici dicunt; errata primæ coctionis nō emendari in sequētibus. Ut autem cibus in ventriculo probè concoquatur, nec ante tempus descendat, requiritur hoc, ut (quemadmodum vulgo loquuntur) ventriculus sese claudat, hoc est, corrugetur ac cōtrahatur in se ipsum, & assumptum cibum amplectatur, atq; ita unito

unito calore foveat alimentum, & concoquat. Humidorum autem usus relaxat vētriculum, hancq; corrugationem, & hunc complexum impedit. Ergo hoc sequitur, ut & alimentum imperfectè coquatur, & ante tempus in intestina delabatur. Unde quidem ista humectantur, & alyus sit humida & fluida; verū reliquū corpus minus boni succi accipere potest. Affa verò elixis ideo præfero, quia plus humidi proprii in se continent, elixa verò plus alieni. Deinde quia potus rectius admiscetur assis, qui est nutrimenti vehiculum, atque propterea iis, qui largiore potu uti cōsueverunt, minus nocumēto est. Neq; tamen assis solis, aut semper utendum censeo. Sextum dubium: Quæreris à me, *cum ego vobis consulam, ut potius cocto cibo in ventriculo hinc etandi intestinorum causa, & epatis juvandi bibatis, quod sit tempus coctionis, quae indicia?* Respondeo; Medicos quosdam illud quidem certis horis describere, at in re dubia atq; incerta minimè inter se de his convenire. Nam Auerrhoës sedecim horas requirit, Gentilis decem, & alii de his aliter sentiunt; verū maxima Medicorū pars

cum Avicēna quatuor horas satis esse pū-
rat. Sed ista melius possūt cōsideratis cau-
sis judicari. Una est communis causa co-
ctionis, videlicet, ipsa facultas naturalis,
quæ est debilis debilitato calore, ideo tar-
dè coquit, fortis calore aucto. Hinc cōjun-
gēdæ causæ effectrices moderātes & alte-
rantes calorē. Nam si alimenta sint bonæ
qualitatis, adhibeātur in debita quātitate,
quæ non grāvet ventriculū; item si sit usus
tēpestivus, ita ut vel potus, vel cibus novus
nō ingeratur, nisi priore cōfecto, teneatur
bonus ordo, ita ut solida posteriūs edātur,
haud dubiè duabus aut trib. horis medio-
cris coctio in vētriculo vestro fieri potest,
vel etiā citiūs; verūm si cibi nec boni succi,
nec in debita quātitate sumātur, nec mo-
dus & ordo servetur, necesse est sequi signa
concoctionis malæ, videlicet, gravitatem,
tensionem, rugitum, multum sputū, item
ructū nidorosum & acidū. Nidorosum qui-
dem à calidioribus & biliosioribus; acidū
à frigidioribus & pituitosis corruptis; ten-
sionē à flatibus. Cūm autē cibus bonus in
quātitate mediocri tempore opportuno,
ordine recto est assumptus, cum mediocri
potu

potu, estque ejus sine molestia toleratia in ventriculo, sapor in ore incosuetus nullus, nec tensio, aut gravitas ulla, appetitio autem potus modica, conceditur praesertim illis, quibus epar est calidius, & plus humidi ad se trahit, vetremque inferiorē sicciorē reddit, duabus horis post sumptū cibū, praesertim ante somnū leviter & paulatim aliquid supbibere, propter eas causas, quas in consilio nostro posui. Verum post prandiū neque positione, neque exercitio intempestivo coctione est turbanda. Quia si nulla sit post coenā fistis, si potus etiam proportione debita ad cibū ingestum in coena sumptus nihil, quam aliquid bibere consultius est, multoque convenientius illis tantum post coenā uti, quae & coctionem juvant, & evaporationem prohibent, & ventriculo robur addunt. Septimum dubium. Est itaque jam facilis responsio ad septimum dubium, cum queris, quo patet conserva rosarum, succus citoniorum cum sint frigida, non obsint ventriculo? Respondeo. Non esse simpliciter frigida, & juvari istum complexum cibi in ventriculo ab istis, non frigiditate; sed vi temperata adstrictoria, qua sunt praedita. Itaque non tam impedire

ascensum vaporum, qui remoratur corrugationē ventriculi, & caput vaporibus replet; verū incitare quasi ventriculum, ut in fese contrahatur, & totum cibum amplectatur, ita ut nulla ejus parte vacua, nulla hiante, unico calore perficiatur coctio. Hac autem perfecta aperto pyloro, id est, infimo ventriculi orificio, cibum quasi de pressum faciliūs descendere, nec longior rem moram, quām par est, in ventriculo trahere, neq; humidiorem chylum, qui in intestinis quoq; coqui nequit, (ut crapulatoribus, & bibonibus accidit) in ventriculum regurgitare, & matutinum vomitum conciliare. Porrò ad exiccandum ventriculum, quo promptius claudatur, & in se contrahatur, & minus vaporum ad cerebrum transmittat, utimur mastiche, & thure, ut T.H. à me est edocta. Ad octavū dubiū, de modo exercitii, & termino dubitas propter sudorem. Verissimum est, quod Hippocrates inquit; *Immoderatum omne naturae inimicum.* Existimant autem Medici sudorem, & lassitudinem terminū esse exercitii, nec ad lassitudinem perveniendum. Hæc quidem opinio non est per-

perpetuò vera. Nam corpora rariora facili-
lime sudant absq; ulla lassitudine. Compa-
ctiora & densiora nunquam. Quare sudor
nō potest esse exercitii terminus, sicut et-
iam non semper mutatio anhelitus; sed
temperata defatigatio, quæ scilicet ad eū
modum deveniat, ut nec defectus utilitati
detrahat; nec excessus vires imminuat,
& spiritus resolvat. De lignorum sectione
graviori, nihil præcepi in meo cōsilio, imò
cùm de frictione matutina dixi, ostendi
immoderata exercitia vobis fugienda. Ad
nonum dubium, de usu myrobalanorum,
& missione sanguinis, hæc respondeo, vir-
tus valida efficit operationes perfectas. Ea
autem cōsistit in membra firmitate, & spi-
rituum bonitate. Myrobalani chebuli sub-
stantiam cerebri juvant, spiritus recreant,
& expurgant, ideoq; medici horis matuti-
nis myrobalanos saccharo conditos assu-
mendos censem, & nucleus diu in ore
tenendum. Porrò chebuli pituitam à ven-
triculo & capite educunt, sensuum organa
emundant, & conservāt, ut auctor est Me-
sues. Excellunt in chebulis, q; colore nigro
purpurante, & cortice crasso prædicti sunt.

Arabes multa præclarajuvamenta illis at-
tribuunt: verùm quidam non immeritò
hoc noxæ adscribunt, quòd obstruktiones
& viscerum infarctus augent. Hæc de my-
robalanis. De sectione venæ, nesciebam
te singulis annis bis mittere sanguinem.
Scio hac in re multum tribuendum con-
suetudini; sed ingravescente ætate profe-
ctò minimè tutum erit toties per phlebo-
tomiam sanguinē detrahere. Nec necesse
erit, præsertim cùm non sit magna pleni-
tudo in corpore, & moderatus victus, at-
que exercitia possint huic subvenire. Ca-
cochymia autem, & humorum vitia an-
nua medicatione tollentur. Nunc refor-
mido missionem sanguinis, nec veto cùm
morbi ratio hoc exigit: sed præservationis
causa toties mittere, nisi in corpore plànè
plethorico minimè fuadere velim, ideoq;
ut singulis annis deinceps semel tantùm
mittas, nisi evidens urgeat necessitas mo-
neo. Ad decimum dubium: Quæris de
syrupo ex succo endivie, atque descriptio-
ne Diapipereos. Syrupi de endivia nulla
est peculiaris formula; sed conficitur mo-
do aliorum syrporum, qui ex succis fiunt,
& ex-

& exstatio eius conficiendi in Dispensatorio Cordi. Diapapaver verò tale existimo vobis utile fore:

24 Capit. papaver. N. x.

Passular. enucleat. $\frac{3}{2}$ j.

Liquirit. incis. $\frac{3}{2}$ ß.

Decoq. in lib. ij b. aq. puræ ad medietatis consumpt. & exprimatur fortiter, & ponatur in loco frigido tamdiu donec possit residere; deinde coletur cum diligentia, & colaturæ adde sacchar. purissimi $\frac{3}{2}$ viij. f. confectio in rotulis. H abes responsones meas, ut arbitror, perspicuas ad tuas dubitationes; in quibus si quid tuam humanitatem desiderare cognovero, non deerit tibi meum officium. Vale.

C O N S I L I U M S E C U N D U M;

In Catarrho pro alio quodam viro

Nobilis:

Catarrhus ita illi molestus fuit, ut inter cibum sumendum, item noctu aliquoties ob compressionem spiritus cogeretur surgere, & deambulando materiam discutere, quod ni faceret; in maximam difficultatem anhelitus;

& quasi suffocationem incidere videbatur:

Diversionem catarrhi in constantissimo viro natura nos docet, cum minus male habeat, cum podagrifica mala assint. Quomodo autem diuertendū sit ambigo, præsertim cum interdū brachia post somnum quasi destitui conqueratur. Etsi verò cauteriorum usu ad curationem nihil videtur melius, quæ non solum in crure; sed etiam in brachiis adhibenda censerem; tamē ob hyemem interea fortissimo lixivio, & panno asperiore cubitum confricarem, atque hoc modo exulcerarem istas partes, quæ ne consolidentur; sed plurimum materiae efflueret operam darem. Non absque dolore fit; sed ob utilitatem æquo animo ferat. Qum verò ob fluxionem ad pectus, sit aucta intemperies in ipso, neque decomsum guajaci, à præsenti Medico exhibatum, frigiditatem illam, & humiditatem præter naturam tollere potuerit, duobus remediis præcipue utendum censerem. Primum est:

*24 Succiveronicæ,
Vel: Syrupi de betonic. 3 iiiij.*

Extract.

Extract. calam. aromat. 3j. Misce.

Sumat manè cochlearia duo usq; ad dies decem. Hoc medicamentum si prodeffet parùm, aliis decem diebus decoctum cardui benedicti cum syrupo de succo cardui sumeret, & cùm manè calidè bibisset, lecto se per duas horas contineat. Hæc duo remedia servata optima victus ratione si non prodeffent integrè, expurgato corpore ad cauterium devenirem, quod etiam fieri debet ante illa duo remedie. Ad purgandum nihil melius esset oxymelle cū agarico. Oxymel compositum Gesneri quoq; conduceret. Sed omitterem helleborum album, & agarici pondus augerem. Valde asthmaticis comperi prodeffe, eoq; omnino cum manna & syrupo rosato solutivo utendum censeo. De Thermis est quæsumum. Cùm autem ad calorem naturalem refocillandum, ad divertendam quoque materiam catarrhi, trahendo illam foras, & absumentum nihil illis videatur convenientius, sanè ego quoque hoc auxilium minimè negligēdum arbitror. Vellem aut ejusmodi esse, quæ calefaciant & siccent, cutim exulcerent, & potari etiam possint.

C O N S I L I A

C O N S I L I U M T E R T I U M.

*In Vertigine pro Nobili quodam
viro:*

Simpliciter admonitus sum Nobilissimum virum laborare vertigine. Fit autem ea, vel per se affecto cerebro, ita ut agitatis in eo vaporibus obvia oculis agitari videantur; vel per consensum, videlicet vaporibus in cerebrum ascendentibus à partibus subjectis capiti, maximè vero ventriculo. Cùm per se accidit, Medici est caput curare. Cùm per consensum ad eam partem curationem cōvertere, à qua consensus oritur. Curationem etiam aliam requirit simplex vertigo, aliam tenebrosa, ut appellant, quæ Græcis ~~euādīos~~ dicitur, & prænuncia apoplexiæ existimatur; ea vero caliginem quandam spiritibus & vaporibus afferit in cerebro, & aciem oculorum hebetat. Quātum ego existimare possum, vertiginosa illa dispositio in Nobili domino est per consensum à ventriculo. Itaque is præcipue curandus. Nō neglecto tamen capite atque cerebro. Quare habita recta viētus ratione, quæ simplicissima esse debet, evacuādus erit vetriculus, hoc modo:

24 Massæ

Y Massæ pilul. mastic. 3 iiiij.

Agaric. troch. recent. 3 ʒ. b.

Cum syrupo de Zingibere q. s. f. pilulae,
N. x xvii.

Accipiat novem, hora una ante cibum.

Evacuato corpore utatur isto Electuario:

Y Macis 3 ʒ. b. maceretur in aceto p no-
ctem, & incidatur tenuissime, ac cōmi-
sceatur conserv. euphrasiæ 3 j. b.

De quo manè sumat ad magnitudinem
castaneæ. Masticet sape semen carvi, eoq;
frequenter utatur in cibo. vino, aut quod
bibit, imponat folia cardui benedicti. Hęc
ipse eger monere & dictare potui. Ubi cer-
tiora de valetudine Nobilissimi domini
cognovero, modò valeam, & vivam, quid
vis potius, quam summum gratificādi stu-
dium in me desiderari patiar.

CONSIGLIO QUARTUM;

*De Epilepsia nocturna pro quadam No-
bili Juvene:*

Quidam annos natus circiter xxvi,
habitu corporis humidiori, in activis, ut vi-
detur, ad frigidum tendente; jam ab an-
nis sex vel octo, affectione quadam ten-
tatur, quæ cum certis intervallis hunc in

modum invadit: In ipsa accessione, quæ noctu tātūm fermè semper circa auroram fit, sentit ventriculos cerebri ita cōstringi atq; coarctari, ut inde etiam anxietas quædā animi oboriatur. Motus corporis sunt inordinatiōres cum jaētatione aliqua, non tamen adeò vehementi, in qua quidem si paroxysmus auētus sit, spumæ etiam non-nihil sanguineæ, cum dentium stridore ex ore emanat. Post invasionem, quæ circiter semihorulā plūs minūs durat, vertigo quēdam, & sensuum interiorum perturbatio, & vestigiū hujus impressionis impressum, cum capitis dolore tensivo, & ex parte velut gravativo, consequitur: maculæ rubræ punctatim dispersæ in oculorum regione apparent, in ipsis præcipue palpebris & angulis oculorum: quæ tamen secunda aut tertia die post, rursum sensim evanescunt. Solet etiam plerunq; accidere, ut ipse paroxysmus in alvi fluorē sic satis copiosum definat. Ante invasionem fermè nullum aliud signum præcedere sensit, quām ubi in somnum fēse compositurus est, capit is quandam gravitatem. Intervalla non sunt æqualia, ut plurimūm tamen intercedit mensis

mensis integer, aut mensis cum dimidio. Nonnunquam spaciū augetur, aut minuitur, pro causarum tum internarū, tum externarum diversitate; ita ut observaverit toto hoc anno proximè elapso octies paroxysmū rediisse, postremo tamen mensē, ipso nimirum Decembri, (quod nunquam antehac factū fuit) bis. Juvamentum aliquod percipere visus est, ex scarificatarum cucurbitularum usu, quas aliquoties applicavit, tum scapulis, tum etiā brachiis, aut cruribus utrobique binas. Et si alioqui hæmorrhoidum fluxum in mediocri copia statis temporibus, videlicet, circa novilunium, & plenilunium pati consueverit, ipsaq; alvus officio suo non desit. Atq; hec sunt illa symptomata, quæ me haec tenus non parùm infestarunt, à V.E. officiosè & reverenter peto, ut suo consilio & auxilio mihi subvenire non dedignetur. Promitto vicissim debitam observantiam atque gratitudinem in omnibus iis, quæ à me præstari, aut expectari possunt.

In Epilepsia semper affici cerebrum, sive per se, sive per consensum illud laborer, constat: ac *τύπησις* causam in dispositio-

ne cerebri singulari esse quærendam, non dubitamus. Ea in hoc ægro, in quo omnes actiones cerebri vigent, non alia esse videatur, quàm nimia illius sensibilitas, propter quam, non tam per se, quàm per consensum læditur. Etsi verò ad illam partem præcipuè, à qua consensus provenit, curatio referenda sit; tamen ad cerebri affectionem semper quoque est respiciendum. Affectus verò ejusmodi est, ut repletri meatus cerebri velocissimè & rursus removeri, atque excuti id quod obstruit, videatur. Itaque vaporem esse, qui vel obstruat, vel mordicet, atque hoc modo vim expultricem, cùm cerebrum, ut dixi, maximè sensibile sit, irritet, indicio quoque illud est, quod ante accessionem quasi vertigo percipitur. Eum verò vaporem à tota massa sanguinea oriri, atque illum graviter commoveri, maculæ istæ rubræ in collo, & majori oculorum cantho post paroxysmum ostendunt. Sed unde illa prava qualitas in sanguine? *atque in* quiddam esse videtur. Proinde tam cerebri ratione, quàm hujus causæ, præcipuè mihi medicamenta, quæ à totius substantiæ proprietate auxiliari-

xiliantur, adhibenda videntur; non negle-
ctis tamen iis, quæ sanguinem mundant,
& ne nimium incalescat, faciunt. Inciden-
tia & attenuantia medicamenta, quibus
Medicus quidam omnia tribuit, suum lo-
cum obtinent. Porrò totam curationis ra-
tionem in præservatione cōsistere, eamq;
& victus ratione, & medicamentorum usū
perpetuò observādam esse, afferimus. Vi-
ctus rationem tibi præscribere non debeo;
sed ut parcissimè potes; & à vino, præser-
tim vesperi, abstineas, ac omnem crapu-
lā fugias, moneo. In cubatione, ne in dor-
so jaceas, cavendum. cruditates fugiendæ.
Nam eæ cerebro inimicæ sunt, & ventri-
culum, qui haud dubiè, etiamsi non do-
leat, non parùm in hoc morbo consentit,
affligunt. A cœna non statim dormien-
dum, multò minùs studiis invigilandum.
Vera enim est Celsi sententia: *Quibus ca-
put affligitur, iis ne cogitationem quidem à cœ-
na tutam esse.*. Nescio an in paroxysmis,
ut multis accidit, semen ejiciatur; quod
si fuerit, de matrimonio cogitabis. Fri-
ctiones non negligas, & cum materiam
moveri sentis, ut ad eas configias, monco.

Sanguinis missionem non omittendam
puto. Mittendum autem ex preſcripto ve-
terum è venis crurum judico. Secta vena,
corpus per syrum nostrum è succo po-
morum cum ſena purgandum. Cùm enim
comitiales in melancholiam ſint procli-
vessiſicut Melancholici in comitiale mor-
bum, ut Hippocrates nos monuit, in pri-
mis iſte syrum proderit, ſi cum eo syru-
pum de cichorio cum rhabarbaro æſtivo
tempore miſceres, non errares. Nam hūc
quidem syrum pro Epileptiſis à Nico-
lao factum eſſe ſcimus. Sæpe autem uſum
iſtorum repeteſe oportet; cùm ~~in~~ in diuturnis affectionibus conſtet,
Si iis decoctum corticum guajaci, & ligni
viſci quercini, & florum violarum admi-
ſcueris, rectiſſimum erit. Post evacuatū
corpus, verno, æſtivo, & autumnali tem-
pore decocto radicum cichorii uti rectiſ-
ſimū; hyeme Mithridatica antidotus cum
ſyrupo de ſucco cardui, vel ſyrupus cardui
conveniēs erit. Deſtillatum autem & car-
dui, & millefolii cum ſyrupo violarum to-
to anno probo. Decoquere etiam in iis li-
gnū guajacum cum ligno viſci quercini,

&

& per dies viginti aut quadraginta bibere
vere & autumno utilissimū. Medicamen-
tum de cinnabare nō præscribo; cùm Fer-
nelius in libello suo de lue Venerea, tam
dira symptomata usum cinnabaris conse-
cuta referat. Mihi, ne quid dissimulē, non
persuadet, cū bono successu me eo usum
esse Viennæ verè affirmare possim. Ster-
cus pavonis ex destillato cardui, vel mille-
folii magis probo. Epar ranarum & perdi-
cum comedunt plurimi commēdant. In-
ungant umbilicum pinguedine cati silve-
stris. Caput expurgant pulvere lapidis, qui
in vesica tauri reperitur per nares attracti,
vel perse, vel succo rutæ. Ceruicem inun-
gunt oleo juniperi è ligno destillati. Talia
remedia plurima in lectione Practicorum
occurrēt. Ego, ut dixi, nihil carduo & mil-
lefolio efficacius reperi. Illa quæ appen-
duntur, ut minimè contemno; ita spem in
ea, quæ incidunt, attenuant, planè nō col-
loco. Uti & his, & illis rectissimum est, &
totam curationis spem in divina benigni-
tate ponere.

Interlocutoria;

In casu proposito ad duo præcipue re-

spiciendum; nempe, ad id quod recipit, &
alterum, quod recipitur, seu aliunde trans-
mittitur. Pars recipiens est haud dubiè ce-
rebrū, quod per consensum laborat. Huic
igitur, quoniam *euāiōnī* est, roborantia de-
bentur, ut scilicet tam facile afficiatur, aut
noxam promptè repellat; sive imbecilli-
tas illa sit ab intemperie; sive, quod potius
reor, à vitio cōformationis; hoc est, à qua-
dam textura membranarum nimis rara;
minusque compacta, & densa. Valde au-
tem peto, ut formulam aliquam huic sco-
po convenientem præscribere digneris.
Id quod recipitur, seu in caput transmitti-
tur, vaporem esse planè statuo, cum bre-
vissimo tempore discutiatur. Prodit hic
vapor potissimum quidem à massa sanguine
(hoc maculæ rubræ relictæ aperte te-
stantur); sed tamen etiam aliquatenus à
ventriculo: sanguis, in quantum multitu-
dine seu quantitate peccat, evacuationem
postulat per venæ sectionem & cucurbi-
tulas, itemque (quæ in ægro isto naturali-
ter fluunt) per hemorrhoides, quib. omni-
bus motus quoq; inordinatus, sive in par-
tem principem impetus inhiberi & auerti
potest:

potest. Quod si etiam qualitate aliqua maligna (ut videtur) prædictus est, ea corrigen-
da venit per illa, quæ massam sanguineam
contemperant, & à vitiosis humoribus ad-
misis pér intervalla certa, menstrua for-
tasse, repurgant. Hanc sanè ad rem cardui,
millefolii & cichorii tum decoctum, tum
destillatum idoneū judico. Item syrumpum
cichorii cum rhabarbaro, & syrumpum de
pomis cum sena; nonnunquam etiam Mi-
thridatii aut theriacæ usum, præsertim hy-
eme. Ventriculi ratione, quandoquidem
hic per se non est debilissimus, satisfuerit
opinor præter victus rationem accuratam
usurpare, quæ vapores inde in caput ferri,
somni tempore in primis, prohibent. In
quem finem frictiones quoque cervicis,
scapularum, & extreborum idoneo tem-
pore adhibitis, præclarè facere experior.
Decoctum ligni magis videtur attenuare
sanguinem, & ad motum aptiorem facere,
unde vix notabiliter prodesse judico.

Responsio;

Raritatem partis ad ~~euagdnoias~~ facere
nullum dubium est. Consequitur igitur,
ut aliquid, quod denset, ex Medicorum

doctrina adhibeamus. Nihil autem melius lotionibus capitis judico; ita tamen, ut posteaquam ex calida laveris, ad extremum frigida utaris. Nam ita maximè roborari cerebrum, & ratio & experientia docet. In lixivio decoquantur; abrotanum, ruta, melissa, & rosæ. Saponi santali citrini, & parum olei caryophyllorum admisceri possunt. Hæc igitur quò ad membrum suscipiens. Mandans puto universam esse infusam sanguineam, à qua vapores ascendunt. In ea qualis sit corruptio; aut qua qualitate vapor, qui elevatur, & ventriculis cerebri molestus est, præditus sit, difficile est dicere. Esse humidum subito replétem, & prægravantem, turbatorem spiritus in cerebro, & motui inservientibus spiritibus quasi aditum obstruentem, constat. Vixtus ratio & curatio utcunque monstrant indicacionem. Ex Hippocratis & Aphorist. 45. universa vixtus ratio patet. Ex eo vero aphorismo, quo quartanam huic malo mederi docet, curatio indicatur. Ut vero quartana totum corpus à vitiosis humoribus crassis liberat & expurgat, & puriora siccioraque corpora facit, idem medicamentum, quod huic

huic malo mederi debet, præstare oportet. Meo autem judicio hoc profuturum spero:

- 2 Succi millefolii,
- Rutæ,
- Melissæ,
- Majoranæ,
- Hyslopi ad spissitudinem cum saccharo cocto an. 3 j. f.
- Rad. Eryngii minutim incisar.
- Ligni visci quercini. an. 3 j.
- Rad. Pyrethri.
- Pul. tormentillæ an. 3 f.
- Cornu cervi præp. 3 vj.
- Mithridat. antiq.
- Theriac. Andr. opt. an. 3 j.
- Conser. è floribus rorifmar. 3 j. f.

Misce lento igne. De hoc singulis diebus manè accipiat drachmam unam, & ante somnum post moderatam, & paucam potius cœnam drachmam dimidiam. Purgarem autem cerebrum tali apophlegmatismo:

- 2 Radic. pyrethri 3 j. f.
- Zingiberis 3 f.
- Rorifmarini,

Saluiæ,

Hyssopi,

Rutæ ana P.j.

Decoq. in aquæ puræ suff. quantit. & colaturæ lib. ij. add. aceti acerrimi rosarum 3ij. Misce. Priùs autem quàm eo os colluat, inungatur palatum hoc eclegmate:

24 Sem. erucæ 3ij.

Staphysagr.

Cubebar.a. 3 ij.

Rad.pyrethri,

Zingiberis an. 3 iiii.

Mastich. 3 j.

Piperis 3 f.

Cum oxymell.q.s.f.mixtura.

Nihil verò effet convenientius, quàm se-taceum cervici applicare; vel certè si fortissimo lixivio è calce & cineribus facto ex-ulceretur. Etiam occipitio rectè applicantur cucurbitulæ. Trallianus ex usu pilularum curationem pollicetur, hæc constant ex aloë, gummi Arabico, colocynthide, bdellio, ad æquas partes cum melle scillitico mistis. Scarificatio pedum, & detrac-tio sanguinis ex malleo omitti possunt. Oro Deum, ut ipse in tam ancipi morbo medi-

medicinam faciat, & his benedicat ; ita
enim benefaciunt.

C O N S I L I V M Q U I N T U M ;

De præservatione ab Apoplexia :

Præcautio morbi est causarum illius,
vel declinatio , vel prius quām lēdant re-
motio. itaq; cūm de evitacione apoplexiæ
agatur, quid sit, & quas causas habeat, or-
dine videndum. Galenus eam affectionē
definit; in qua totum corpus simul resol-
vitur, & principes facultates cohibentur,
corpusq; sensu & motu destituitur, sola re-
spiratione aliquomodo remanente ; quæ
dum & ipsa opprimitur, homo subito qua-
si strangulatione extinguitur. Etsi autem
hujus affectionis una causa videtur, ac re-
vera est, obstructio videlicet in nervorum
principio, ita ut spiritui animali, qui in ce-
rebro elaboratur , & sensum atque mo-
tum universo corpori præbet, exitus non
pateat, vel in carotidibus arteriis , ut vi-
tal is spiritus, qui animalem fovet, aditu
prohibeatur, atq; in cerebrum permea-
re , & fomentum animali præbere ne-
queat, huic inquā obstructioni, seu causæ

cōjunctæ morbi, et si cōtravenire difficile
sit; tamen causis antecedentibus obviam
ire & eas quasi antevertere licet. In earum
verò causarum investigatione, primò oc-
currit intemperies cerebri, ppter quam,
vel spiritu animales debito modo nō con-
ficiuntur, vel materia, quæ in principium
nervorū, atq; carotides subitò delabitur,
in cerebro sensim colligitur. De hujus in-
temperiei causis variæ sunt Medicorum
disputationes. Nam multi in ea sunt sen-
tentia, cerebri substantiam non affici; sed
tantùm ventriculos, videlicet, medium &
postremum, ita ut in illis, quemadmodum
dixi, fiat obstructio, quā symptomata quod
apoplexia dicitur, comitetur. Hoc si ita est,
nequaquam. Iste morbus malum hæreditari-
um putādum. Nam si cerebri substanc-
tia plane est in columis, apoplecticus, vel
epilepticus nō poterit apoplexiæ, vel epi-
lepsia obnoxii generare, cùm à sana par-
te non nisi sanum semen decidatur, & ut
morbus hæreditarius sit, atq; cōmunice-
tur, hoc requiratur, ut is vel aëtu, vel potē-
tia in membro sit. Aëtu apoplecticus nul-
lus generat. Potētiam autem ac potius in-
clina-

clinationem ad hunc morbū difficile est demonstrare. Non enim podagrī generant podagricos, nisi podagra sint tentati, & partes debilitatæ, neq; contagiosi morbi, ut Lepra, morbus gallicus, transferuntur in natorum corpora, nisi contagium in corpore genitoris adsit. Ad hæc apoplexia fit subitò, etiam in illis qui sana mēte sunt, & operationes cerebri integras habent. Est autem illud membrum de sententia Medicorum sanū, cujus operationes sunt sanę. Quomodo igitur à sano membro decidetur insalubre semen? His atq; aliis rationibus persuasi cruditissimi Medici, cé-sent neq; intemperiem hujus morbi causam esse, neq; illum hæreditarium perhibēdum. Ac si fortè propter intemperiem frigidam totius cerebri hoc morbo aliquis est obnoxius, cum isto modo non subitò, sed lente eum coripi necesse sit, hoc consequitur, in ejusmodi affectione præcautionem minimè difficilē esse. Ut verò singulis diebus temperamentum paulatim in deterius labitur; ita quotidie opera danda, ut lapsus corrigatur. Cùm verò frigidius fieri cerebrum in ista affectione con-

ster, itaque singulis diebus aliquid assu-
mendum, quod spiritus animales, & calo-
rem naturalē refocillet, & temperamen-
tum cerebri conservet. Nihil ad hoc am-
bra convenientius. Itaq; his orbiculis sin-
gulis diebus uti convenientissimum;

¶ Sacchar.in aquarofar. dissol. ʒ iiiij.

Ol.anisi distillat. gutt. iiij.

Ambræ gryfeæ ȝ iiiij.

Misce, & f. confectio in rotulis.

vel istis, cui composita magis placeant, ali-
quis uti poterit:

¶ Specier. Diambrae,

Diamusci dulc. an. ȝ j.

Sacchar.albiss.in aq. borrog. dissol. ȝ iiiij.

Ol.anisi destill.gutt. ij.

Misc. & f.confectio in rotulis.

Nucem etiam muscatam tostā, & frustu-
latim incisam, sēpe in ore detineat. Nam
hæc cerebri intemperiem frigidam corri-
git. Caput singulis septimanis abluat ante
cœnam, & postea aëri se non exponat. In
lixivio decoquatur majorana, rosmarinus,
& rosæ, & adhibetur sapo medicatus hoc
modo factus:

¶ Saponis Veneti, vel Hispan. ff. j.

Rad.

Rad. ireos,

Santal. citrūm an. 3j. f.

Ambræ 3 f.

Ol. caryophyllor. gutt. iij.

Dissolvatur sapo in aqua roſarum, & commisceantur. Matutinis horis linguam bene mundet, & os abluat aqua roſarum, vel lavendulæ, cui aqua communis admisceatur. Retro aures etiā ſe iſta aqua mundet. Et victus ratione nō evaporante utatur. A lacticiniis igitur, leguminibus, oleribus, fumo maceratis, cepis & allio conditis abſtineat. Vino etiā minimè potente utatur. Sed de his cùm aliàs cauſas hujus morbi explicabimus prolixius agemus. In quibus verò temperies cerebri jam mutata eſt, hos torpor quidam membrorū moleſtat, licet à quacunq; plenitudine malū etiam oriatur, is non abſit. Multis etiā vertigo gravis eſt. Iis autem magis qui à vaporibus crudis ascendentibus corripiuntur. Nam præcedentia, etiā ſi diuersæ ſint cauſæ, congruunt, ut ex ſequentibus patebit. Altera cauſa, eaq; frequētissima eſt; pituitosi humoris copiâ cerebrū confertim irrigante, & ſpiritū, ut diximus, intercipiēte.

Hæc causa planè cum priore cōvenit, atq; propterea senes, & multa cruditate labo-
rantes faciliùs corripiuntur. Nam in senio
cerebrum multis jam actionibus debilita-
tū, pauciores spiritus & debiliores gene-
rat. Proinde & sensus stupidiores fiunt, &
motus infirmior est. Calor autem natura-
lis debilis, cùm neq; bene concoquat, ne-
que humores superet, atq; excernat, eve-
nit ut in cerebro pituita redundet, quæ fa-
cit, ut in hyeme, vel constitutione hyber-
na ad hunc morbum proclives sint, & de-
teriùs se habeāt, gravitate capitis & somni
laborēt, etiam interdiu dolores circa cer-
vicem sentiant. In his igitur ad remedia
priùs recitata deveniendum, & ne pitui-
ta crassescat, opera dāda. Cōveniunt verò
ea omnia, quæ priùs recitata sunt, & ma-
ximè his utilis est in cibo aromatum usus,
qui tamen caput non repleat, id fit si à pa-
stu pulvere peptico cibum claudant. De-
scriptio pulveris peptici hæc est:

2f Panis albi tosti 3ij.

Coriandri præp. 3j.

Cinnamom. ele&t.

Galangæ el. an. 3j.

Ma-

Mastich. 3 j.

Sacchar.albiss. lib. 3.misf.f.pulvis.

Prodest etiam ad candem intentionē plurimū usus Diacydoniati cum speciebus Galeni post cibum. Item si in pane, quem comedunt, misceatur semē carvi, cuius seminis usus nō solū comeſtus; sed & odoratus plurimū cōmendatur. Itaq; in oleū destillatū carvi imponatur panniculus linneus, vel spongia, & ea matutinis horis sæpe odoretur. Sumat etiā manē ſemen carvi & erucæ in pulverem cum ſaccharo redactis, vel unum de his orbiculis :

ꝝ Sacchar.in aq.rosar. & lavendulae dissolut. 3 iij.

Ol.sem.carvi destillat.gutt.iij.

Ambræ grif. g iij.

Misce & f.confectio in orbiculis.

Et ne natura ad unum medicamentum aſſuefiat, mutari poſſunt remedia, ita ut interdum hiſ orbiculis, & pulvere utatur:

ꝝ Sacchar.in aq.betonic.dissol. 3 iij.

Ol. succin.gutt.iij.

Pul. succini albi 3 lib.

Misc.& f.confectio in orbiculis.

Pulvis verò iſte ad præſervationem plurimū valet:

*✓ Rad. seseli Cretici (quam vulgo Ber-
vvurtz vocant) 3j.*

Sem. crucæ,

Cardamomi,

Piperis albi a. 3 ij.

Misc.f. pulvis subtilis.

De hoc capiat ad fabæ magnitudinē manæ, vel pulvis commisceatur cum syrupo de betonica, fiatq; electuarium, de quo sumatur ad avellanæ magnitudinem. Plurimum etiā prodest interdū vacuare pituitosum humorē catapotiis, vel pilulis mastichinis ante cibū ad drachmā unū sumptis. Frictiones etiā matutinæ toti⁹ corporis his utiles sunt, & lotiones pedū manè ex betonicæ decocto. Itē gargarismata matutinè facta, quæ cerebrū expurgant, hoc modo;

✓ Rorismarini,

Vincæ pervincæ,

Rutæ,

Origani,

Salviæ a. P.j.

Zingiberis,

Pyrethri a. 3 j. 3.

Rad. Lappæ major. 3 iij.

*Decoq. aq. flb. ij. ad tertia partis consum-
ptio-*

ptionem, & colatur & affundatur aceti ro-
facei acerrimi q.s. servetur in vitro. Hujus
gargarismatis usus est mane. Nam purgare
os & linguam plurimum prodest, & non pa-
rum pituitae hic gargarismus extrahit, &
cerebrum roborat. Aquam etiam majo-
ranæ, in qua semina erucæ contusæ, & pa-
rum Zingiberis, sint macerata, attrahe-
re per nares utile est. Nam pituitam ad na-
res, quarum usus præcipuus est, ut cerebrum
expurgetur, provocat. Tertiæ causam Me-
dici ponunt; sanguinis crassitiem & plen-
tudinem. Hujus igitur irruptione implen-
tur vel cerebri sinus, vel carotides arteriæ,
atque rete (ut quibusdam videtur) mira-
bile. Nam in dissectione cadaverum apo-
plecticorum grumus sanguinis in carotides
delapsus, repertus est. Qui verò ex hac cau-
sa laborant, eos intra quadragesimum, & se-
xagesimum annū, quo tempore melancho-
licus humor maximè viget, coripi Hippo-
crates testatur, his nihil convenientius ad
preservationē ex oraculi sententia est, quam
hæmorrhoides supervenientes. Omni igitur
ratione opera danda ut fluant. Nam
dū fluxerint tutos illos esse non dubitandū,

Cæterū si illud effici nequeat, proximū hoc, ut per cucurbitulas, & venæ sectionō sanguis detrahatur. Ex hac detractione, et si aliquid est adjumenti; tamen cùm feculætus sanguis nō expurgetur, minùs, quām par est, juvāt. Et frequētior etiā missio sanguinis incisa vena refrigerat sanguinem, & spiritus exhaustus, itaq; cautè agendum. Nam Hippocrates non absolute ad sanguinem, Melancholiā, vel pituitam, causam apoplexiæ refert; sed humoris crassitiem respicit, proinde studiosè vitanda, quæ copiosiorem & crassiorem sanguinē reddunt, ut sunt vina turbida & dulcia, varietas ciborum, immodicæ repletiones calorem suffocantes, exercitia post cibū vino cardui benedicti uti utilissimum. Cōvenit etiam in his usus vini medicati, ut ex infuso senæ facti. Misceri autem hoc vi-
num cibo, sicut & alia medicamenta, cùm coctionem turbent, chylum crudum dejicient, & ita concitatis plurimis fumis spiritus cerebri labefactent, sanè probare nequeo. Cæterū si hora una ante cibum sumatur, quin plurimū adjuvet non dubito. Nam sena omnium sensuum organa mi-

na mirificè, & sine magna noxa expurgat.
Ventriculo nullam insignem molestiam
ad fert, & cor roborat. Infusum autem
senæ, vel syrpus noster de pomis ex se-
na convenientior esset. Infusum hoc mo-
do fit:

24 Passular. nun. 3vj.

Galangæ incis. 3j.

Flo. borrag.

Violar. a. P.j.

Decoq. f.a. in f.q. aquæ puræ, & infundan-
tur decocto:

Fol. senæ Alexand. select. 3vj.

R̄ colaturæ expressæ 3iiij.

huic add.

Mannæ calabrin. 3vj.

Syr. conservat. Zingiberis 3j.

Misc. f. potus, detur matutinè.

Si verò syrupo è succo pomorum & sena
uti voluerit, accipiat 3j. atque huic admi-
sceat macis 3ß. Quod si corpus lubricum
ad istum modum expurgetur, modera-
tè cœnet, à vinis turbidis & potentioribus
abstineat, non facile in hoc malum incur-
ret. Lubricum autem corpus fiet, si die,
quæ præcedit eum diem, quo infuso se-

næ, vel syrupo uti voluerit, enema ex decoctione veronicæ in jure capi, vel galli, cum saccharo sibi injici curabit. Magis hoc proderit, quam si multis diebus ventriculum cum syrups debilitet. Est & in hoc casu hoc observandum; ne post cœnam is, qui hoc malum metuit, statim cubitum eat; sed duas, si non plures horas à cœna ad somnum interponat; ita tamen ne potet. Inter præcipuas Apoplexiæ causas quartam Hippocrates recitat; dum à crassis vaporibus ascendentibus in cerebrum, virtus animalis, quæ sensu & motui præest, impeditur, & calor naturalis, qui perpetua eventatione, id est, ductu ab extra ad intra, ac econtra intrò foras indiget, hoc beneficio destitutus opprimitur. Hoc autem maximè iis, qui cruditati & crapulæ obnoxii sunt, accidit, & qui dum crudi sunt exercere se, quam quiescere malunt. Hujus cause nuper exemplum visum est. Abstinencia autem & quiete (quibus Celsus noster maximos morbos curari ait) hi præservantur. Nequaquam autem dormire iis à cibo utile est, & præsertim si stertere illis

lis familiares depræhendant. Sunt igitur non multò post, quām sedentes dormire cœperint, suaviter excitandi, & ne cubent monendi. Os simul ac evigilaverint post somnum meridianum eluant, & in æstate manus ex aqua frigida lavent. Modicè exerceantur, deinde consueta tractent. In Veneriis non sint prolixii. Nam si quid aliud immoderata Venus cerebrum & ventriculum debitum præcedit autem hos plerunque vertigo, ea quidem in propinquum malum esse indicat, non dum tamen periculum præsens. Ea igitur medicamenta, quæ paulò ante recitavi, sunt usui, in primis verò orbiculi, & odoratus destillati carvi. Nam ne vapores crassescant, & obstruant opera danda. Ad hoc odore & vapore suavi cotrigentia eos vapores, qui cerebrum infestant, & circumaguntur in eo, atq; ut isti intus volvuntur, sic foris vertiginē inducunt, plurimū prosunt. Coquere igitur carvi & succinū in aqua oportet, & vapores naribus accipere, in ore nucem muscatam tostam, cui aliquid ambræ admistum sit, retinere. castoreum aceto impositū naribus admovere. Volūt quidā

in ejusmodi affectione aquis destillatis,
quas *vitæ* appellant, uti; verùm cùm & im-
peritissimè fiant, & adhibeātur, abstinen-
dum (ne accelerēt magis mortem, quām
avertant) cupio. De experientia multos
loqui, equo animo patior; verùm cùm im-
peritiam suam manifestè prodant, & stul-
torum plena esse nimiùm res ostēdat, nu-
merum ne augeam, mihi cavendum puto,
ne vapores vel cerebrū petant, vell lēdant,
in hujus causæ cōsideratione rectissimum
& tutissimum est. Id fiet si (ut paulò ante
dixi) crapulam, cruditatem, ciborū varie-
tatem, post cibum exercitia, vehementes
animi commotiones, iram in primis, & va-
riam atque ineptam victus rationem, fu-
giant. Uno cibo conuenienti contentum
esse maximum sanitatis præsidiū. Possunt
bruta uno cibo replere famē, & homines
non possunt? satisfactum jam causis omni-
bus, vel certè præcipuis apoplexiæ recita-
tis, & quid ad præcautionem fieri debeat
constituto, meoq; officio me perfunctum
putabam; sed objiciuntur quædam, ac il-
lud in primis, quod Galenus Aphorismo
42. lib. 2. *Aphlegmonosa, seu inflammatoria*

affe-

affectione constipante cerebri ventriculos, hunc affectum oriri afferit. Si igitur febris continua (intermittēs enim mortis præsagatrix) ita ut par est hanc affectionem comitetur, nullo alio præsidio indiget. Si debilior, malum auget; si potentior, vires dejicit. Itaq; in excessu periculū. Non enim aliās aliam apoplexiā febris curat, quām eam, quæ ex sanguinis refrigeratione, crudis humoribus, & flatulento spiritu oritur. Hic verò prudentia præsentis Medici requiritur, non ex præscripto res agitur. Sunt & aliæ cause, in quibus remediis ex medicina petitis non est locus, ut cùm ex occursu maximi frigoris, ex valido iētu cerebri sinus & ventriculos lēdente, ex subita lētitia, summa indignatione, animi q; commotione, fulmine attoniti, apoplectici fiant. Hos si comitatur insignis apoplexia, curationis ratio non est alia, quām ea, quæ à causis est obstruentibus. Si in paralysin ea desinit, auxiliis, quæ resolutioni subveniant, utendum. Inchoante apoplexia, pleriq; omnes subito sanguinem mittūt, sed hoc certum, occidere missionem cùm nō liberat. Suffitum etiam ex succino statim factum, qui-

dam vehementer probant, rationibus veris eos destitui satis ostendere eruditus Medicus possunt. Sternutatoria periculosa quæque sunt; utilia tamen si in loco adhibeantur. Commendatur pulvis ex radice cnicæa cum ruta, castoreo & zinzibere, atque partes æquales, ita ut naribus infletur. Cicutæ partes superiores maximè colli, rectum est. Afferem è tabula cupressi capitii admoveare, vel derafo capillo cucurbitulam vertici imponere utilissimum esse, magnus Medicus experientia didicit. De aquis vitæ mortiferis, nihil dico. Magna est varietas, summa in usu vanitas, atque non minus interdū quam ebrietas, quæ huius mali mater est, cum eodem modo cerebrum afficiant, nocent. Clysteria acria, & omnia, quæ divertunt, dum spes est adhibēda. Spes verò est, cum æger spirat. Quia spiratio sine vita non est, nec vita sine spiratione, & semper dum vivit animal spirat, etiam si non spirare videatur. Itaque spiratio magnitudinē morbi, & periculi imminentis in hoc affectu declarat, atque ut ea probet Medicus consideret, præceptis Hippocratis & Galeni monetur. Si enim æger non spirat,

spirat, neq; apoplecticus amplius, neq; vivus perhibetur. In divina igitur potestate relinquendus. Ineptum est lana, pilis, plumis, & similib. velle periculū de spiratione atq; respiratione facere; cū illud in apnæa, aut syncope frigida, in qua calor cordis refrigeratur, fiat. Arteriarū, quarum motus seu pulsus, exploratio locū nō habet. Nam in syncope frigida languidus planè est pulsus, in apoplectico spirante plenus & validus, nisi cūm jam in propinquuo mors est. Si verò apoplexia in paralysin definit, spiratio fit difficultis, & oēs musculi thoracis graviter laborant, obstructo nimirū principio nervorū spinæ dorsi, id cūm duos meatus, seu foramina habeat, dextro vel sinistro tantum obstructo, in una parte paralysis, quā *hemiplegiam* vocant, consequitur. De cuius curatione, cūm temperamentum corporis & vires Medicum in primis respicere oporteat, sicut de ea paralysi, in qua sine offenditione sensuū, gravitate capitis, & impotentia ad oēs actiones naturales, stupor in aliqua parte augetur, & paralysis illius partis cōsequitur, hoc in loco nobis ager- dū nō est. Cū verò apoplecticus sine sensu & motu jacet, spiratio cū stertore violēta &

inæqualis, sudor symptomaticus, nihil nisi
mors expectāda. Aurelianus in apoplexia
valida longissimum terminum diem ter-
tium statuit. De validiore & validissima o-
raculum Hippocratis in medio est. Beni-
gnus Deus omnes misericordiæ suæ in
morte filii testificatæ confidentes in certa
fiducia auxilii ac liberationis ab improvisa
morte, & migratione ex hac vita tueatur.

C O N S I L I U M S E X T U M;

*De compressione oris ventriculi, & spiritus
quasi interclusione pro quodam
Nobili juvene:*

Omnem rectam actionem Medici, re-
ctam cognitionem præcedere oportet. Et
verissimum est illud: *Non intellecti, nulla est
curatio morbi.* Itaque quid de causis morbi
tui Medici præsentes existiment, cogno-
scere cupiebam. Vel colligi in ventriculo,
vel confluere ad illum humores existimo.
De pituitæ, quæ in ventriculo generatur,
corruptione nullum dubium. De affluxu
humoris, sit ne is à jecinore, vel splene hæ-
reο. De meatu illo à vesicula fellis, qui mi-
seros à nativitate facit, non cogito, neque
bilem

bilem copiosè trásmitti arbitror. Aliquid
bilis interdum cum pituitoso humore mi-
sceri existimo; Unde pituita illa, quæ rejici-
tur flavescit, & viridis apparet. Acrem at-
que acidum illum humorem è splene af-
fluere, & in stomacho magis, magisq; cor-
rumpi statuo. Ab hoc strágulationis, acre-
dinis, & aliorum symptomatum sensus ex-
citatur. Itaque primus scopus curationis
est, ne vel transmittatur humor, vel in sto-
macho corruptio fiat. Compressionem il-
lam oris ventriculi, & spiritus quasi inter-
clusionem fieri ratione Diaphragmatis, &
causam habere flatus existimo. Verùm si
pituita, quæ flatuatur, nō redundabit, non
ita hoc malum molestum erit. Itaq; neces-
se est, ut pituitosi humoris copia removea-
tur, deinde ventriculi intemperies corri-
gatur. Hunc verum scopum attinget, si in-
terdum solam aloën rosatam ad dimidium
scrupulum ante cibum sumet, & rectam
viētus rationem observabit. Te ipsum verò
jam quid profit & ob sit animadvertisse pu-
to, & ex eo indicationes curandi à præsen-
te Medico peti possunt. Mihi cùm nihil o-
stensum sit, quid afferam? In multis quoꝝ

acris & acidus iste humor molestavit, talia symptomata animadverti, omnes per vomitum, interdum etiam quasi screatu saltem pituitam, quā deinceps acidus humor cōsecutus est, majori difficultate rejecerunt, neq; prius finē fecerunt, quām nigra quædā, vel acida tenuia vacuarentur. Humore ejecto temperie stomachi his medicamentis corrigere studui. Cūm per anni tēpus licuit, thermarum aquas, quæ eluunt, abs-tergunt, & roborant ventriculum, bibere jussi. Tales multæ sunt in Italia. Nonnullis acidulas præscripsi; frequenter scobem de cornu cervi, destillatū etiam ex iis, item in primis cornu cervi ustum. Item rasuram eboris dedi. Item terram Lemniā. Videmus cretam vulgarem, cūm in cerevisiam acidam conjicitur acorem tollere. Itaque in his siccis magnam etiam vim esse trahendī in certum locum, è quo vacuantur humores, non dubites. Nihil juverunt inunctiones, purgationes, imò auctum iis malum. Hoc electuarium profuisse scio:

2 Conser.rosarum 5 vj.

Spec.aromatic.rosat. 3 j.

Thuris cl.& albi. 3 ij.

Misc.

Misc. & f. electuarium.

De hoc electuario capiat hora decubitus ad magnitudinem nucis castaneæ. Sputi multitudo non tam humidioris cerebri, quam stomachi est index. Vigor ille sensuum, tam interiorum, quam exteriorum reclamat cerebri temperamentum esse humidius; sed potest abundare excrementis, quæ ut expurgetur per nares, cum fauces petant, opera danda. Calet haud dubiè cerebrum, & tanquam spongia, & ut Hippocratis, cucurbita, exrementorum materiam attrahit. Poteris igitur sacculum ex santalis rubris, foliis rosarum, & semine coriandri in pulverem redactis supra caput gestare. Missio sanguinis debili ventriculo non procedet. Nec video quid stillicidiū aquæ thermarum juvare possit. Flatus quoque tibi interdum molesti sunt. Quam sœva symptomata in corporibus excitent scio. Itaque cum calorem infirmum esse, & materiam crudam ostendant, opera danda ut calor confirmetur. Gestabis igitur interdum tale scutum.

Ladani opt. 3 iij.

Spec. aromat. rosat. 3 j.

Ol. nucis cond. 3 fl.

Cum ol.rosaceo completo, & cera q.s.
f.ceratum. quod extendatur ad formam
scuti, non tegatur sindone, sed corpori ap-
plicetur. Cum urgent flatus, incidas minu-
tim zedoariam, & cum vino sumas ad 3 j.
Nolo zedoariam pulverisari. In jusculis in-
terdum sumas semen carvi, vel ammi. A-
romatum nimium usum vites. scutum sto-
machale non perpetuò gestes; sed hora u-
na atque altera ante cibum applices, neq;
tunc movearis. Hæc poteram in hac no-
stra miseria monere. Ubi de morbo certio-
ra ex te cognovero, amici officium in me
non desiderabis.

C O N S I L I U M S E P T I M U M;

*De flatulenta affectione pro quodam Illu-
stri viro:*

Ipse sentio, quam sævi & tristes dolores
a flatibus oriantur. Verè autem dico tri-
stes, cum magna animi tristitia non modò
hypochondriacas; verum etiam flatulētas
affectiones comitetur. Unicum est reme-
diū, curare ne sis crudus, & ne immodi-
cis laboribus, præsertim cerebri atq; cor-
dis, id est, affectionibus, animi intentioni-
bus,

bus, lectionibus, auscultationibus, spiritus exhaurias. Nam non solum cruditate; verum etiam spirituum debilitate calor innatus affligitur, atque flatus generantur. Materiam vero flatum rectissime vitant ii, qui simplicissimam vietus rationem observant; immo uno cibo, qui minimè excrementosus sit, contenti sunt. Nihil enim tam facere ad cruditatem, quam ciborum varietatem saepe monui. Addo hoc; ne in vasis æreis cibi præparentur, vel coquantur. Nam si quid intestinis, & omnibus membris naturalib. nocet, immo vitam laedit, coctura illa ciborum in ænis vasibus hoc facit. Magno cum meo malo hoc sum expertus, & Aulas semel sapere, atque fictilibus ollis uti velim. Quam facile pisces, cum paulo diutiùs in cupreis vasibus cocti relinquuntur, corrumphi videmus. Sed de hoc scribere non est necesse, quia in metem venit, hoc loco monere volui; si quid hac in parte Illustris dominus monendo etiam Cæsareæ Majestatis valetudinem juvare posset. Ad medicamenta vero quod attinet, prius quotidianum usum Theriacæ, vel antidotii Mithridaticæ præscripsi; ita ut tribus vel

quatuor horis ante lucē, instar magni pisii
de his antidotis sumeret, vel saltem alter-
nis diebus usurparet. Manē priusquā do-
mo exit, buccellā panis albi imbueret spi-
ritu vini malvatici asperso saccharo, atque
deglutiret. Spiritus verò iste tribus destil-
lationib. in balneo esset paratus. Hæc duo
medicamenta facile ad præcautionem,
quæ in primis necessaria est, facerent, &
calorem senilem excitarent, atque juva-
rent. Urgentibus verò flatibus, & ventrem
perturbantibus, habet jam Illustris Do-
minus enema, à me perscriptum. Huic ne-
quaquam incoquerem *Cuminantia*, ut vo-
cant, quæ cocta opinione magis, quam re-
vera juvant: sed pro tertia parte enematis
jam cocti & expressi adderem malvaticum
vinum. Error autem est & imperitia Me-
dica, malvaticum, dum coquuntur her-
bæ, affundere. Ad ructus profunt orbicu-
li ex saccharo atque oleo caryi facti. Iis et-
iam, si, cum doloribus vacat sæpe Illustris
Dominus utetur, præclarè suæ valetudini
consulet. Ad intestinorum malum velim
Illustrēm Dominum ceratum ex Ladani
atque ceræ æqualibus partibus factum,

atque

atque inunctum caryophyllorum oleo, loco affecto, non modò urgentibus doloribus; verum etiam alio tempore adhibere. Vigiliis senum mederi, maximè eorum, qui in summis curis versantur, & quos jam diu hoc malum vexat, difficile est. Lotiones, inunctiones, præsertim frigidas nihil prodeesse certissimum est, imò frigida plurimum laedere constat. Calidis atque odratis vapores contemperandi. Itaque hora decubitus una atque altera pilula parva ex specieb. diambræ, atq; moschi cum succino confecta hoc modo devoranda est:

¶ Sy. diambræ 3 ij.

Diamosch. dulc. 3 fl.

Succinialb. 3 j.

Ambræ grys. g. iiij.

Misc. & cum syr. de corticibus citri q. f.
reformentur pilulæ N. XXIIII.

E quibus tres una vice capiat. Ad eandem intentionem instar nucis avellanae sumat interdum de hoc electuario:

¶ Conser. è florib. nymphæ 3 fl.

Styrac. calamitæ selectiss. 3 j.

Margarit. splendid. præpar. absque ullo metallo 3 ij.

Ambræ gryſea ſ. vi.

Moschi g. iiij.

Mift. & cum ſyr. violaceo q. f. f. mixtura
affervetur in vitro.

Plurimūm iſta duo remēdia cerebrum ro-
borant, & adverſus vertiginem, atq; ſimi-
les affectiones proderunt. Hæc nunc po-
tui monere, ſi quid præterea, quo Illuſtris
dominus juvari poſſe videatur, in mentem
venerit, fide optima, & voluntate propen-
ſiſſima monebo, ac diuinum auxiliū, quan-
tum in me erit, ut optimus Dominus con-
ſervetur, implorabo.

C O N S I L I U M O C T A V U M;

*In dolore dextri lateris ex inflammatione renis
dextri pro quodam Generoso domino:*

Cognitionis non aberrantis in morbi
investigatione indicium eſſe Medicorum
confiſſionem Galenus noster affirmat.
Quā verò Medici de morbo consentiant,
& quid absque vera cognitione rectè aga-
tur manifestum eſt. Meam ſentētiā ſim-
pliciter dicam. Cūm in dolore iſto dextri
lateris tanta urinæ profluvię cōsequatur,
renem affici nullum dubium. Si dolor ve-
hemens,

hemens, si sitis, si calor adsunt, ut adesse res restatur, quis de calida intemperie dubitabit? sit ne verò inflammatio, in medio relinquo. Urina tam multa & copiosa maximum crudorum humorum copiam affluere, & liquari ostendit. Ex his igitur patet, cruditates in primis in hoc corpore vitandas, & intempestivè corrigendas, atq; removendas. Qua ratione hoc fiat, nemo mediocriter in arte Medica versatus ignorat, itaque actum non ago. Cæterùm quod ad intemperiem istam renis emendandam attinet, hoc opus, hic labor. Frigida simpliciter non profund, calida nocent. Temperata igitur adhibenda, corpore non omnino impuro, & viis apertis. Excrementa removebunt uę passę grandiores cum acinis contusae, admista terebinthina nostro modo cocta. Erit etiam aliis medicamentis locus de judicio Medicorū præsentium, qui plus vident, quam ego absens indicare possum. Usus autem clysteris ex solo decocto veronicæ cū saccharo, magis quam ulla medicamenta, per os assumpta, proderit. In decoctum vel adeps vervecinus ad renes, vel cuniculi, aut capi, adjiciatur, ita

ut lubricitatem faciat. Si ista non sunt ad manus, parum butyri recentis addatur. Intra corpus probo decoctum passularum, quas *cubebas* vocant, cum radicibus althææ, & veronicæ hoc modo:

C passular. major. seu cubebarum 3*lb.*

Rad. althææ 3*lb.*

Herb. veronicæ P.j.

Decoq. in s.q. aquæ puræ, colatura

C 3*ijj.*

Mellis depurati.

Butyr. recent. an. 3*lb.* Misc.

Bibat jejuno stomacho, sive manè, sive ante cœnam. Regioni autem renum hoc cataplasma imponat:

C Pul. radic. althææ 1*lb.* *lb.*

Vini optim. q.s.

Gummi Tacamahacæ 3*ijj.*

Misc. & extendatur, atque sinistro lateri in parte dolente applicetur. Hæc scripsi subito, ne gratia officio quod mora tardaret abesset. Si quid deinceps in mentem venerit Generosum Dominum pro mea fide, & cupidissima gratificandi voluntate, monebo.

C O N S I L I U M N O N U M ;
*De præservatione à calculo pro quo-
dam Nobili:*

Præservatio est remotio causæ faciētis,
vel facturæ morbum. Causæ verò in gene-
ratione calculi duæ spectantur; efficiens,
videlicet calor renui, & materialis. Præ-
bent autem causam calculo omnes humo-
res, maximè autem pituitosus. Ideoq; re-
cta victus ratione in primis cavendum, ne
hujusmodi humorēs, qui ad proventum
calculi faciunt, in corpore coacerventur.
Vitāda igitur sunt omnia, quæ cruditatem
augent, & à cibis mali succi cavēdum, abs-
tinendum à frequenti usu piscium, laetici-
niorum, avium quæ delectantur aqua. De-
niq; ab omnibus, q copiosum alimentum
præbent. Non miscenda diuretica cibo:
vitanda vina Austriaca nō fecata, & coctio
compostationibus, inambulationibus quæ
non turbāda. Diuretica, sive ea sint calida,
sive frigida, quæ tamen propriè diuretica
non dicuntur, non nisi ante pastū, vel lōgē
à pastu assumenda. Ceterūm cùm in accu-
rata etiam victus ratione excrementa pro-
veniant, paulatim ea sunt subducenda.

Id fiet si ista pilularum massa 3 ij vel iij singulis septimanis semel assumpseris:

℞ Terebinthin. ex aqua simplici & ultimò rosar. novies lotæ 3 j.

Rhabarb. opt. & subt. pulv. 3 iij.

Cinnamom. ele&t. 3 j.

Pulv. succini alb.

Ceterach.

Liquiritiæ. an. 3 j.

Misc. f. magdaleon, de quo fermentur pilulæ mediocres. Hæ pilulæ satisfacent ad removendam materiam calculi, si temperanter tamen vixeris. Cæterùm si quotannis semel in anno potionēs purgantes suaviter humores sumperis, plurimū valetudini tuæ cōsules. Quod ad alterationem renū attinet, cùm nō solus calor; sed quidam ex semine propagatum, vel à causis cœlestibus ortū ad calculi generationem faciat. Etsi inquam propter hanc causam alterare renes frigidis interdum parùm juvet; tamen plurimis profuisse scio, postquā corpus mediocriter pilulis præscriptis purgatum fuerit, cùm post mediū noctis hanc potionem biberint:

℞ Aq. fragariæ 3 v.

Syr.

Syr. de succo violar. 3 j. Misc.

Quidam etiam singulis noctibus aquā frigidam bibebat, atque gravissimos cruciatus calculi, quos ante perpeſſus fuerat, effugit. Mānē verò ne frigida potio noceret, aliquot grana piperis integri assumebat. Ad eandem intentionem recte assumitur interdum 3 ℥ vel 3 j succi portulacæ inſpiſſati, ita ut in pilulas redigi possit. Inungantur etiam renes ante decubitum hoc unguento:

24 Infrigidant. Gal. 3 j.

Unguenti Mesues 3 ℥.

Santalini 3 ij. Misc.

Postea convenientibus diureticis utetur, doloremq; sedare studebit.

C O N S I L I U M D E C I M U M;

De præcautione Colici doloris pro quodam

Nobili viro:

Sapienter, ut cætera omnia, hoc noster Hippocr. scripsit: *Nihil parvum, nihil contemnas.* Utinam autem Politici viri illud non tantum in valetudinis cura; verum etiam reipublicæ obſervarent, minus fortasse calamitatum in cōmuni vita eſſet. Cūm igi-

tur à me consilium requiratur de præcau-
tione colici doloris, atque paresi, quæ jam
semel in hoc corpore colicum dolorē con-
secuta est, principio hoc moneo etiā atq;
etiam procurādum, ne rursus in illud ma-
lum vir præstantissimus incurrat, cùm per-
pauci, quos secundo hic morbus invadit
periculum effugiant. Nā prior morbus ita
plerunq; naturam debilitat, & eam intem-
periē in intestinis relinquit, etiam mēbra
paralysi affecta eo modo debilitat, ut cum
secundo recurrat, vel intēperantia accersi-
tur, optimis etiam remediis parū juvetur.
Hæc eò ptinent, ut vir prudēs admonitus
majori studio periculum vitet. Porrò cùm
cruditas prima causa sit, & quasi fons & ori-
go hujus morbi (hāc enim flatus & cæteræ
molestiæ consequuntur) in primis eniten-
dum, ut corpus cruditate vacet. Id fiet ob-
servata recta victus ratione, quæ in diligēti
cura rerum nō naturalium, ut Medici ap-
pellant, consistit. Quod igitur in præsentia
dixi, idem nunc de sententia Galeni nostri
repeto: supervacaneum esse optima medi-
camenta iis præscribere, qui rectam victus
rationem tenere nequeunt. De aere non
multa

multa dicam, cum ferendus necessariò sit
occupatis, qualis occurrit; verum etiā cum
is corpora nostra plurimū immutet, cōtra
injurias illius corpus p̄muniendum. Frigi-
dus igitur & humidus quātum fieri potest
vitandus. Inferior venter totus lineo pāno
veteri & attrito, decuplo etiā, muniendus,
& charta papyri superponenda, ut minus
aer intestina, & membra nutritioni serviē-
tia afficere possit. Pedes etiam neq; hume-
standi sepe, multò minus refrigerandi. De
cibo & potu longa futura effet cōmemora-
tio, si singulis inhærere vellem. Ut cibus sit
simplicissimus, & minimè varius, pr̄fertim
in uno pastu sumptus, moneo. Carnes, pi-
sces, lacticinia minimè misceat, & quātum
potest, cùm pisces, & lacticinia ad proven-
tum pituitosi humoris faciat, vitet. A crū-
dis verò planè abstineat. In potu cùm plu-
rimū peccetur, adhibenda est diligētia,
ut quæ noceant, vel prosint nobis observe-
mus. Nam potus, quem vētris murmura &
flatus consequuntur, quiq; per urinā diffi-
culter transit, noxius omnino est, itaq; ca-
vēdus, ac licet sit diureticus; tñ cum pituitā
secū rapiat intēpestivē, obstruit meatus, &
multa incommoda affert. Cerevisiæ igitur

hordeaceæ usum nequaquā probare possum. Neque etiam nostratis acietis, quem potum plerūque crudum bibimus, nisi vectura, vel debita cura cruditatem emēdet. Conveniētissimus igitur usus effet cerevisiæ Bohemicæ bene defecatæ atque maturæ. Vinum omne suspectum. Dulcia enim crassa & turbida plurimùm nocent, etiam si parcè sumpta non magnopere lādere videantur. In primis autem Moravia noxia sunt, & nativum quiddam, quod hunc morbum conciliat, in se continent. Hinc tot colicos & paralyticos in Moravia videmus. Nec ab hac malitia absunt Austriaca, nisi bene atque sāpe sint elutia-
ta. Rhenensia pura, matura, non contami-
nata hominū fraude innocentissima sunt.
Horum igitur usum laudarem, si in pran-
dio tantum vinum biberet. In cœna verò cerevisia, ut dixi, alba contentus effet. De somno, & cæteris rebus non naturalibus, ut Medici appellāt, nihil præcipio. Ad me-
dicamenta autem quod attinet, cùm etiam in exquisita victus ratione crudi & corru-
pti humores colligantur, familiari aliquo medicamento expurgandi sunt, ne mole
sua

sua noceant. Itaque nisi vel insignis æstus,
vel frigus obstet, recte utetur pilulis, qua-
rum ista est compositio;

24 Aloes rosatæ ʒj.

Rhabarb. cl. pul. & aq. cinnamo. aspersi
3ij.

Agarici recenter trochiscati 3j.

Mastich.

Myrrhæ a. 3ß.

Cum syrupo de absinthio reformato pilulæ, numero xxv. De his pilulis capiat ho-
ra una ante cœnam, præcedente prandio
tenui singulis octo diebus quinque, vel si
parum subduxerint, septem. Videtur qui-
dem clysteria in hoc malo minus noxia;
sed si malum supra umbilicum est, parum
juvant. Ut verò semper periculosius inte-
stina supra umbilicū, quam infra laborant:
ita clysteria injecta, dum obſtructions in
superioribus partibus sunt, parum materi-
am attingunt, & ſepe usurpata hoc incom-
modū afferunt. Primum, quod ſegniorem
virtutem expulsivam reddunt, & efficiunt
ut alvus nō niſi irritata ſe exoneret. Secun-
dò, quod istæ impulſiones ſubitæ materiæ
enematum, vel nimis calidæ, vel frigidæ

temperamentum intestinorū ledunt. Deniq; quod nullum enema applicari possit, quin non simul multi fatus intrudantur: doloribus tamen urgētibus cūm pilulæ, & similia medicamenta per superiora crudis existentibus humoribus minimè tutò adhibeantur, necessariò ad enematum usum, deveniēdum est. In primis verò commendatur decoctū veronicæ, quæ à proprietate colicis medetur. Ea coquitur in juscule gallinaceo, & libræ juris decocti adjiciatur vini Malvatici fl. 3. Myrrhæ 3 fl. & tanquā clyster imponitur. Rectè etiam decoctum veronicæ ex vino cum dimidio scrupulo myrrhæ per superiora inchoantibus & urgentib. doloribus datur. Sed curationem, quæ presentem Medicum requirit, neque ex præscripto rectè suscipitur, non institui nunc scribere. Quæ ad præcautionem facere videātur, de iis monere volui, & cùm duo jam absoluta sint à nobis; primò, ut cruditates vitentur, nec materia cumuletur; deinde ut materia collecta paulatim subducenda sit; restat tertium, quid ad roborandum calorem innatum fieri debeat. Etsi autem calor corrupto temperamento partium,

partiū, & sublato, vel impuro reddito hu-
 mido, cui ipse insidet, & à quo fovetur, dif-
 fulter ad suam moderationem reduci ita
 potest, ut officium suum integrè præstet;
 tamen quātum in nobis est annitendum,
 & anceps pótius, quām nullum remedium
 adhibendum. Consului de usu olei absin-
 thii, quo totus venter matutinè inungen-
 dus, cùm absinthium maximè partes ro-
 borare Medicis videatur, ne flatus fuscipi-
 ant. Sed magis juvabit meo judicio oleum
 magistrale, quod *stomachale* nomināt. Ma-
 ximè autē flatibus resistet si ambra liquida,
 ut vocant, umbilicum inunget, vel si ea ha-
 beri nequit, oleo myrrhæ. Muniet etiam
 ventriculū emplastro, vel scuto, quod um-
 bilicum attingat, ex cera & ladano confe-
 cto, si huic ambra grysea, ut appellatur, in
 pulvē redacta, inspergatur, longè poten-
 tius remedium erit. Intra corpus sumet in-
 terdum cum vino post parcā cœnam trib.
 vel quatuor horis scrupulum unum radi-
 cis zodoarię incifę. Nonnunq̄ sextam par-
 tem scrupuli myrrhæ selectissimæ. singulis
 etiam mensibus matutinè horis sex priusq̄
 cibum sumat, accipiat scrupulum unum

Theriacæ, vel Mithridatii benc confecti;
& si rationes illius hoc ferunt, singulis annis semel in Thermis lavet. Nam si quid aliud, maximè Thermarū usus labefactatum calorem erigit. *Hirschbergenses* laudo; sed *Landecenses*, etsi calefiāt, multis de causis præfero. Hęc habui quæ nunc monerē. Ea si ornatissimus vir observaverit, haud dubiè re ipsa experietur, me recte & fideliiter monuisse. Ut autem à Deo, sine cuius nomine, nihil felix & salubre, fortunentur ex animo precor.

C O N S I L I U M X I;

In Paralyſi ex Colica:

Etsi infirmissimè valeam; tamen persolvendum mihi est tuæ humanissimæ epistolæ; ne beneficii tui immemor atque ingratus videar. *πάρεσις*, quę colicum dolorem consequitur, à paralyſi, quæ apoplexiam, vel paraplexiam comitatur, origine & causis differt. In paralyſi cerebrum, & principium nervorum affectum est; itaque ad caput, & spinā dorsi remedia adhibemus. In paresi post colicam malum ab intestinis oritur, & impetu quodam ad membra exteriōra

teriora fertur, ac musculos, tendines, & partes exteriores occupat; saepe principio nervorum illæso. Itaque primum intestinorum malum intemperiem corrigere studemus; deinde materiam, quæ in membris exterioribus est, discutere, & membra corroborare, hoc est, ad suam temperiem reducere. Ad intemperiem vero intestinorum, nisi inflammatio adsit, felici successu destillatum e galbano, baccis lauri, & gummi Elemi umbilico adhibui. Membris vero exterioribus pro corporum constitutione fomenta & unguenta, quorum formulas certas nunquam observavi, sed, ut corpora ferebant, ordinavi.

Destillatum:

¶ Gummi Galbani,

Elemi,

Hederæ,

Ol. laurin. (aut etiam baccarum lauri) ana partes æquales.

Destillentur. Serventur seorsim primò aqua. deinde oleum clarum, tertio oleum crassius.

¶ Rad. urticæ M iij.

Ivæ arthriticæ M ij.

C O N S I L I A

Baccar.lauri,

Salviae,

Rutæ,

Rorismarini.a.M.j.

Gran.juniper.M.j.ß.

Incidantur, & dentur ad chartam pro balneo.

¶ Pingued.taxi,

Vulpis,

Gallinæ,

Anatis,

Anseris,

Ciconiæ an. ȝ j.

Succi salviæ,

Absinthii inspissat.an. ȝ ß.

Ol.laurini ȝ ij.

Misc.f. unguentum, quo inungatur post
balneum.

C O N S I L I U M X I I;

In dysenteria pro quodam Nobili:

In fluxionibus ventris cruentis, ut in spu-
to sanguinis, diligentem Medici conside-
rationem medicatio requirit. Ideò cœca
quasi remedia præscribere non possumus,
præsertim cum hæ affectiones ostendant,

quan-

quantum inter Medicum doctum & rationalem, atque imperitum & audaculum empiricum sit discriminis. Tuttissimus autem est usus clysterum, primò:

¶ Furfurum tritici macri.

Hordei an. P. ij.

Herb. malvæ,

Parietar.

Chamæmel. a. M. ij.

Acetos. M. j.

Fiat decoctio in f. aquæ lactis quantitate,
colaturæ

¶ ℥. j. vel in grandiusculis ℥. j. ℥. add.

Mellis rosat. solut. ȝ. j. ℥. Misc.

Deinde adhibeatur aliis clyster:

¶ Herb. plantag. centinodiæ an. M. j.

Rofar. rubear. M. ℥.

Radic. tormentillæ ȝ. ℥.

Decoq. in lacte ustulato, & decocto add.

Mucillagin. semen. cytoniorum.

Succi plantag. a. ȝ. j. ℥. Misc.

Reiteretur hoc enema, vel loco ejus quod
sequitur:

¶ Lactis ustulati q. s. in quo decoq.

Rad. tormentill.

Consolidæ a. P. j.

Inque colatura diffol.

Sevi hircin. $\frac{3}{4}$ j. vel $\frac{3}{4}$ ß.

Add. vitellum ovi, & detur.

Pro potu, quia graviter sitiunt, recte illis
datur emulsio amygdalarū dulcium cum
aqua tormentillæ, & pulvere diatragacan.
in ovis sorbilibus. Item hic pulvis:

$\frac{1}{4}$ pul. rad. tormentillæ $\frac{3}{4}$ j.

Nucis cond. $\frac{3}{4}$ ß.

Sem. plantag. 3 ij.

Misc. f. pulvis, de quo manè & vesperi de-
tetur drachma una; sed prius repurgatis ex-
crementis per clysteria, vel exhibitionem
rhabarbari loti, item missione sanguinis.

C O N S I L I U M X I I I ;

*De præservatione à Lumbricis, & eorum cura-
tione, pro quodam Generoso
domino:*

Lumbricos esse de eorum genere, quæ
tota substantia præter naturam sunt, atque
ideò è corpore ejiciendos, Galenus nobis
ostendit. Materiam verò eorum crassam,
crudam, & excrementitiam intestinis ad-
hærentem, in hoc corpore albedo indicat.
Efficiētem autem, calorem putredinalem
illum

illum quidem; verum non absolutè, cùm secundum Aristotelis sententiam, simpli- citer putrescens non generet. Duæ igitur præcautionis & curationis sunt intentio- nes, videlicet, ut opera detur, ne materia in corpore proveniat, vel si proveniat, ut educatur, deinde ut calor cōtemperetur. Materiei in corpore proventum prohibe- mus recta victus ratione, quæ eo directa esse debet, ut ab omnibus, quæ crassos hu- mores gignunt, sibi vestra Generositas ca- veat. Aerem igitur frigidum & humidum vitet, præsertim nocturnum. Corpus ante cibum, nequaquam post exerceat, post ci- bum non statim dormiat. Balnea à cibo vi- tet. Alvus ut sit aperta procuret, vel cùm non est, pilulis ex aloë, quarum descriptio litera A signata est, utatur. A cibis crassis, qui difficulter conficiuntur, & pituitosis, ut piscibus, carnibus pinguibus, lacticiniis, & crudis abstineat. Lactucam tamen cum aceto & oleo olivarum comedere in cœna poterit; Cibos suos acidos, vel succo limo- num, vel citri, vel aurantiorum reddat. A nimio verò aceti usu propter podagram, & articulorum dolores sibi temperet. Le-

guminum usum vitet. Pane fermentato utatur. Nō multum pro una vice comedat, nec nisi febricitet, hora cœnæ, (quod plerunque fit in vermibus) à cœna abstineat. Tunc verò decocto è radicibus cichorii utatur. Ac cùm febris, & calor præternaturalis adest, caveat à nimio amarorum usu, cùm illa calorem præternaturalē augeant. sed cū sine febri est, rectè amara adhibentur, quib. vermes enecantur. oportet enim prius interimere vermes, vel saltē facere, ut obstupecant, quām medicamētis purgantibus educere. Ad necandos vermes præscripsimus pulverem, notatū litera B. Eo cū triduo, vel quatriduo do. Generosus est usus, ut mortui educātur, vel pilulis de aloë, vel potionē, quæ litera C signata est, ut edum. Aut ex jure galli pingui cum sacccharo clyster unciarum quindecim injiciendus. Nam quæ vermibus grata sunt, per inferiorē ventrem injici debet. Olea cum refugiant, nequaq̄ clysteribus admiscēda, multò minus aloë, vel alia amara. simplicia autem quæ necant vermes, & omni tempore præberi possunt, sunt ista: Coriandri semen præparatum, semen citri, arantiorum,

rum, limonum, pulvis è vermis terrenis
cum rasura cornu cervi ad drachmam u-
nam. Pulvis cornu cervi usci, terra lemnia,
&c. Usus etiā theriacæ ad magnitudinem
fabæ matutino tempore, item sub noctem
myrrhæ ad magnitudinem pisii utilissimus
est. Sed in primis præstans medicamentum
si ex succo chamædryos (D) & succo scor-
dii syrupo confici iussit, & de eo in se-
ptimana cochlearia duo matutina hora
sumserit. Si volet ut hic syrpus purget fer-
ventis syrapi libræ dimidiæ uncia una fo-
liorum senæ, & agarici albissimi uncia di-
midia in petia ligata imponantur. Sed sy-
rupo purgante semel in septimana uti fa-
tis est. Si succi non habentur, fiant ex her-
barum decocto forti. Adhibentur inferio-
ri ventri olea & cataplasmata, quæ vermi-
bus adversantur, ut oleum è nucleis persi-
carum, sicut fit oleum ex amygdalis cum
oleo amygdalarum amararum. Item tau-
rinum fel cum illis mixtum, aut cum aloë,
aut succo foliorum persicorum. Talium
medicamentorum aliquot formulas, sub
litera E descriptimus. Cataplasmata et-
iam ventri apponenda, litera F notavimus.

Ad caloris autem contemperationem nihil utilius omnes Medici practici medulla cervina existimant. Ea non solum lumbos & perinæum; sed universam spinam dorsi inungunt. Hæc igitur si diligenter fuerint per aliquot menses observata, nō dubito, quin & vermium generationem sint impeditura, & ne articulorū dolores crebrò sint graves atque molesti effectura. Nam cùm ex pituitoso humore fuso atq; putrefacto articulorum dolores proveniāt, sublata materia illa, malum hoc consequi non poterit. Adhibenda tamen alia quoque ad podagram sunt auxilia. Et cùm Generosus dominus Mithridatica antidoto, vel Theriacā utetur, ut in lecto sudet opera dāda. Abluendum saepe, ad materiam, quæ ex capite fluit, absumendam, caput, & in lixivio polytrichum decoquendum. Sapone autem medicato utatur litera G descripto, & post lotionem capiti applicet sacculum, litera H descriptum. Pedes abluat vino, in quo flores verbasci cum sale ebullierint. Sed tutissimum est mūdare pedes saepe cum urina propria, vel pueri masculi, vel cùm tument, decoquere in aqua pluviali

viali baccas lauri, alumem, thus & sulphur,
atque in hoc decocto liriteolum madefac-
cere, & calidè applicare. Si verò rubor &
calor adsit, frigidè apponendū est. Herbas
ad fomentationes, videlicet, origanum, ab-
sinthium, artemisiam, agrimoniam, chamæ-
melum, & rationem utendi novit. Ne ni-
mum calidis fomentis utatur caveat. In-
unctiones, cùm spes curationis propemo-
dum evanescat, vitandas existimo. Hæc
autem à benignissimo Deo fortunari o-
pto.

*Sequitur descriptio medicamentorum, quorum
usus supra propositus est.*

A

24 Aloes rosat. 3 j.

Myrrhæ el. 3 j.

Cum syrupo rosato solutivo reformatum
pilulæ mediocres. Capiat drachmam se-
mis pro vice.

B

24 Coriandri præparat. 3 j. 3.

Sem. portulac.

Citri,

Limonum a. 3 ij.

Zedoariæ 3 j.

G

Cornu cervi usci 3j.

Misc. f. pulvis. Sumatur ad drachmam
dimidiam.

C

¶ Decocti sebesten 3ij.

Rhabarbar.electiss.3j.

Maceretur in eo,& prius aqua cinnam.
humectetur, atq; expressum detur.

D

¶ Syrupi è succo, vel decocto chamædry-
os,& scordii facti.

E

¶ Ol. è nucleis persicorum, & amygdala-
rum amar. express. an. 3j. fl.

Theriac optim. 3ij.

Mithridatii elect. 3ij. Misc.

Item: ¶ Succi fl. persicorum 3j.

Aloës optim. in spiritu vini dissol. 3fl.

Myrrhæ 3ij.

Fellis tauri 3vi. Misc.

F

¶ Folior. absinthii vulg.

Santonic.

Menthæ, a.P.j.

Nucleor. persicorum.

Amygdal. amar. an. 3fl.

Cum

Cum felle taurino & oleo amygd.amar.
f.cataplasma.

G

2 Saponis Veneti. lib.j.

Santali citrini.

Rad. iridis a. 3 ij.

Caryophyllor. 3 j.

Ambræ g.vi.

Dissolvatur in aqua rosarum sapo, &
stet in loco calido, ac reformatur
globi.

H

2 Santalor. rubr.

Citrinor. an. 3 ij.

Rosar. rubea. 3 j.

Corall. rubeor. 3 β;

Nucis conditæ,

Caryophyllor. a. 3 j;

Succini alb.

Mastich. a. 3 β.

Ambræ g.vi.

Misc. f. sacculus cum bombace sindon
ne obductus, & serico filo distinctus,
ne pulveres in unum locum conci-
dant.

C O N S I L I U M X I V I I ;

*Pro præservatione, & curatione Podagra
pro quodam Episcopo:*

Cùm reverendissimus Princeps firmis
sit viribus, & calor naturalis, omnium ope-
rationum naturalium opifex, illæsus, con-
jugio etiam non devinctus, initio hoc mo-
nendus, ne ullo modo corpus medicamē-
tis affligat; sed recta victus ratione, & me-
diocri diligentia articulorum dolores vi-
tari posse sibi persuadeat. Verissima enim
est Avicennæ de omnibus morbis, quæ à
fluxione pendent sententia: *Nisi materia
ad sit, neq; membrum, à quo defluit, eam exone-
rationem, neq; debilem partem illam recepturā.*
Rectam aut̄ victus rationem appello, quæ
neq; in qualitate, neq; in quātitate peccet.
In qualitate pr̄cipue peccatur, cùm est ci-
bus varius. Itaq; varietas ciborum vitanda,
& simplicissimo cibo, qui nō multum hu-
morem generet, ut̄edum. Usus igitur car-
nium sit temperatus, pr̄sertim gallinacea-
rum. Ab iis autem, quæ vel crudos, vel cor-
ruptos humores generāt, prorsus sibi tem-
peret. Pisces rarissimè comedat. A cancris,
anguillis planè abstineat. Fungos, carnes
fuillas,

suillas, lacticinia vitet. cruda omnia fugiat.
Fraga tātūm & cerasa, & persica bene ma-
tura in prima mensa concedi possunt. A
cæteris abstineat. Lactucā modicē sumat.
Capparum & olivarū usus tutior. Carnes
avium, quæ circa loca palustria versantur,
ut anserum, anatum, item pingues omnes,
maximè agninas & suillas nō attingat. Ver-
vecina tutissimè utetur, & bovina tenera.
Vitulinam etiam non satis adultam mini-
mè probo. Legumina pauca conveniunt,
præter hordeum decoctum. Utatur verò
carnibus magis assis, quàm elixis. Cōditos
nimium cibos vitet, & simplicissimo, ut o-
stendi, contentus sit. Quantitas autem sit
ea, ut de mēsa surgens plura semper appe-
tat, neque unquam ita cibo sese repleteat, ut
nullum illius desideriū relinquat. A potu
verò quantum potest sibi temperet. Si sola
cerevisia triticea tenui contentus esse pos-
set, haud dubiè plurimum adjumenti sen-
tiret. Sed cùm fortasse vino affueverit, uta-
tur Rhenano minimè forti, vel crudo, & ei
aliquid rubri vini, quod à pede anserino
nomen habet, affundat. A Moravicis, Au-
striacis, Ungaricis, dulcib. & crassis omni-

bus sibi temperet. Monui de remedio di-
vino, adimēte articularem dolorem, Ver-
cellensisbus in quodam viro quinquagena-
rio podagrico à Marchione capto, & vi-
ginti annis in carcere detento ostendo, qđ
satis declarat, unicum remedium in hoc
morbo è viētus ratione petendum. Sed a-
lia pauca ad præservationem addam. Pri-
mum hoc est, ut ventriculi robur medica-
mentis purgantibus non debilitet. Itaque
præter evacuationes annuas, veris & autu-
mni, quo tempore & sanguis rectè mitti
poterit, nullis aliis medicamentis, quām a-
loë rosata utatur. Sumat autem scrupulum
unum de hac massa:

24 Aloës rosata 3 ij.

Mastich. 3 j.

Cum syrupo rosac. solut. q.f.f. pilulę pro
qualibet drachma duodecim.

De his igitur sua reverendissima Celsitu-
do sumat quinq; hora dimidia ante cœnā,
& parcè cœnet, atque istis pilulis absque o-
mni noxa in saccharo rosato, vel cū melle
rosato singulis septimanis uti poterit, imò
cum maximo valetudinis commodo. An-
nuas purgationes non præscribo, verū
hoc

hoc moneo, ut talia medicamenta exhibeantur, quæ vires ventriculi non affligant, neque ita debilia sint, ut humores potius turbent, quam educant. Infusum senæ & rhabarbari cū manna maximè probarem. Ut verò calor naturalis juvetur, & humores vel non corruptantur, vel absumentur, consulo ut singulis diebus matutinè, posteaquam os & linguam bene munda- verit, de sequenti electuario ad magnitudinem uncis castaneæ sumat:

R. Conserv. rosar. rub. & si haberet pos-
sunt Damascena. lib. 3.

Spec. aromatic. rosa. Gabriel. complet.
3 iij.

Caryophyll. inciso. 3 ij.

Ambræ cl. 3 j.

Misc. & cum syrupo de cortic. citri f.
electuarium. Detur in vase vitro, vel py-
xide vitreata. Quantum adjumenti ad
universi corporis valetudinem Reveren-
dissimus Princeps ex usu illius electuarii
sit habiturus re perspiciet. Cùm autem
materia Podagræ præcipue à capite per
universum corpus feratur, duo in primis
ad præservationem utilia remedia sunt

observanda: lotio nimirum capitis, & sudor matutinus in lecto. Caput abluēdum curabit singulis septimanis bis ante cœnā, nec postea aëri se exponat. In lixivio decoquatur polytrichum, & utatur sapone moschato, hoc modo facto:

¶ Saponis Veneti lib. j.

Santali citrin.

Rad. ireos a. 3 j. ℥.

Caryophyll. 5 j.

Ambræ grise. 3 ℥.

Mosc. g. v.

Misc. f. globi.

In lecto matutinè sudet, quotiescunq; poterit, ac quo frequentius sua celsitudo hoc fecerit, eò tutiorem se esse putabit. Hiberno tempore aliquid theriacæ, vel Mithridatii sumere, cū sudare volet, poterit. Remedia ad roboranda membra suscipiētia, cùm in illis calor nativus sit integer, & neque temperies, neq; compositio partium mutata, non video cur sit opus. Hoc tātūm moneo, ne Thermarum, vel lotionū usum pedibus prodesse reverendissima sua Celsitudo sibi persuaderi sinat. Pedes mundare cum spongia intincta in vino rubro styptico,

ptico, in quo sal sit decoctū, utile est. Item tempore vindemiarum manē vinaceis, ē quibus paulò ante vinū expressum est, immittere atque fovere. Caligis etiam lineis lotis in viño cū sale, & siccatis uti; sed aquæ imponere nequaq̄ conveniens. Post paroxyſmū fomentis ex herbis decoctis in vino ad discutiendas reliquias materiæ, quæ affluxit, adhibere juvat. Verùm, ut initio dixi, sola victus ratio, in qua etiā aér frigidus, & humidus cōtinetur, qui magnoperè vitandus, rectissima præservationis via est. Curationem dolorum nō attingo, cum ea propter tempora morborū, & varietatem materiæ præscribi nequeat, & errata in ea plurimum detrimenti adferant. Medicis igitur præsentis & prudentis considerationi relinquēda sunt, & minus potius, quā nimium faciendum.

C O N S I L I U M X V;

In Podagra pro Barone quodam Paganico:

Est mihi initio non tam de temperatura Magnifici & Generosi domini Palatini; verumetiā de morbi causa, & natura aliquid

commemorandum, & ponenda quasi hoc modo fundamenta certa præservationis & curationis morbi articularis, quo Magnificus dominus affligitur. Sed cum temporis angustia hoc non ferat, & ægritudini bonis potius remediis; quām Autorum sententiis variè conquisitis sit occurrentum, supercedebat longiori disputatione, & quæ rectam & tutam medicationē spectare videntur, exponam. Nam et si morbus Magnifici domini, qui genu, cubitum, manus, ac pedes, & universum corpus afflixit sit inveteratus, & jam duries ac nodi fieri cœperint, de qua scriptum est à Poëta: *Tollere nodosam nescit Medicina podagram,* præcesserint etiam medicationes pernicioſæ, virtus cordis, hepatis, & ventriculi sit debilitata, & ob hæc omnia, & his plura valetudo pænè desperata; tamen non dubito, quin arte & ingenio boni Medici, ita in meliorem statum possit reduci, ut nec ſæpe morbus, nec multūm affligat. Absoluta verò sanitas, & valetudo planè firma potius à Deo, quām à Medicis eft speranda & petēda. Proinde Magnificum & Generofum dominum adhortor principio,
ne

ne ulli Medico credat gravioribus Medicamentis morbum se depulsurū affirmant, fugiat unctiones mercuriales, & thermas, & in iis aut similibus remediis, quæ bona fide summa diligentia proponam, & præcipue in divina benignitate spem suam collocet. Quod ad morbum attinet non recēlebo ambages de natura, causis, & reliquis, quæ à Medicis prolixè disputantur. Nā in omnib. fermè articulis debilitatem esse constat, cū diuturna fluxione materiae crudæ & biliosæ ad juncturas, in quibus inflamatio & tensio per certa intervalla fieri solet. Posito autem isto cōstat in curatione morborū, quæ à fluxione dependent, quatuor esse consideranda: primò, membrum mandans, i. à quo fluunt humores: secùdo, recipiens, h.e. ad quod fluunt: tertiò vias, i. per quas fertur materia, & quartò, materia ipsam. Mandātia, recipientia, & viæ, roborationē & alterationē debitam requirunt. Materia ablationem. Præclarè autē Avic. inquit: *Si materia fuerit sublata, neg. membrum mandans mandabit, neg. recipies recipiet.* Quare cū in p̄servatione, tū in curatione primò ad materiā est respiciendū, & cavendū, ne

ea in corpore generetur, & si quæ est genita, ut illa quamprimum auferatur, deinde ut membra alterentur & roborentur. Materiæ autem generationem in corpore cavemus bona viætus ratione, & recta administratione earum rerum, quas Medici *non naturales* vocant. Primùm igitur aër nebulosus, pluviosus, & ventosus vitandus, præsertim nocturnus. Dormiat igitur sua Magnificètia clausis fenestrîs in cubiculo, ubi aër sit exiccatus, & temperatus in calore & frigore. Talia sunt ea loca, quæ sua Magnificètia inhabitat. Caput, à quo magna pars ægritudinis depedet, sit perpetuò mūdum & munitum, nō tamen nimium à pellibus calefiat. Exercitium admodum cōtra cruditatem prodesse; sed quia & manus & pedes à doloribus sunt debilitati, nō possum exercitium consulere. Nam membra debilia firmando sunt. Somnus sit nocturnus octo, vel novem horarum. primò super latere dextro, deinde super sinistro, postremò rursum super dextro. Si autē sua Magnificentia aliter cubare consueverit, non mutet consuetudinem. Cum sua Magnificentia cœnat, nō nisi quatuor horis à cœna cubitum

cubitum eat. Lotiones & balnea omnino
vitet. Caput aut singulis septimanis semel
abluat, & in lixivio, quod ex cinere farmē-
torum vitium sit factum, decoquantur ro-
sa, betonica, stœchas Arabica, & agaricus
albus. Paretur autem sapo in hūc modum:
¶ Saponis veneti ℥.ß.

Santal. citrin. 3 v.

Rad. ireos 3 ij.

Caryophyll.

Lig. aloës an. 3 j.

Macis 3 j.

Moschi parum, siquidem gratus S.M.

Quod ad victus rationem, cibus sit mode-
ratus, simplex, boni succi, minimè excre-
mētosus & flatuosus, & nunq ad satietatem
ingestus. Ideoq; sua Magnificentia sit con-
tentia uno ferculo, & non varios & diversos
cibos misceat. Nihil enim perniciosius in
hoc morbo, q ciborum varietas & diversi-
tas, cùm ea non minus quam multitudo &
satietas cruditatē inferat, quæ mater hujus
mali est. Utatur autem carnibus optimis &
laudatis, quales præscribunt Medici: vitu-
lina, hœdina, gallinis, caponibus, perdici-
bus, phasianis, colubis, avib. nemoralibus.

Extremitates avium & gallinarum Medici
in hoc casu improbant. Item aves quæcūq;
in locis palustribus degūt. Abstineat à suil-
la, leporina, fungis, caulisbus, leguminibus:
Affæ carnes, quām elixæ convenientiores
sunt. Piscib. raro utatur, & non nisi optimis
& elixis. Abstineat à coctis cū butyro aut
oleo, vel frixis. Nō comedat pisciū capita.
Ovis sine butyro utatur, & nullo modo cū
butyro conficiat. Usum fructuum, & præ-
sertim pomorū planè S. M. vitet. Nec casei
aut lactis usum probo. Deniq;, ut dixi, si fi-
eri potest, in prādio ferculo uno, aut altero
ad summum ejusdē generis utatur. Fugiat
acetosa, & evaporantia, ut allium, cepam,
sinapi, tanquam certam perniciem. Potus
sit cerēvisia pura & defecata, aut hydromel
Lithyanicum, quod fortasse minus mole-
stum esset, si unum aut alterū folium salvię
imponeretur, aut etiā cum illo decoque-
retur. Vino prorsus abstinentium censeo;
sed ventriculi causa concedendū puto, vel
panem ex optimo tritico confectum bene
fermētatum intingat in malvaticum, non
admodum potens, & sic in modum pastæ
assumat. Hæc de victus ratione satis, præ-
sertim

fertim cùm de ea alii quoq; Medici monuerint. Quod ad medicamenta attinet, vellē si votis res ageretur M.D. nullis prorsus medicamētis, & præsertim purgantib. uti; sed cum naturali calore debilitato, & ratione aëris etiam in laudatissima victus ratione consentaneum sit in hoc corpore partim crudos, partim adustos & biliosos humores coacervari, qui non aliter, q̄ medicamētis educi possunt, necesse est ut singulis mensibus bis expurgetur. Ad hunc usum præscripsi has pilulas, de quib. S.M. assumat ʒj. tribus horis ante prandium:

℞ Myrobal.citrin. ʒij.

Agaric.albiss.

Rhabarb.el.

Aloës opt.an. ʒij.

Mastich. ʒj.

Aspergantur decocto ivæ artheticae & caryophyll. & cū syr.de cort.citri reformentur pro qualibet drachma pilulæ septem. Sumat trib.horis ante prandium, & superbibat aquæ betonicę cum syr. de betonica cyathum. Quod si M.S.abhorret usum pilularum, consulo ut singulis mensibus bis hac hyeme, aut saltem semel utatur hoc infuso senæ, quod:

$\frac{1}{2}$ Passular.enuclear.3 j.

Galangæ.

Sem. anisfa.3 j.

Decoq. in s. q. aquæ puræ, & in decocto macerentur per integrum noctem:

Fol.senæ Alexandr.elect.3 ss.

Exprimantur fortiter, & $\frac{1}{2}$ hujus expressionis 3 iiiij.

Syr.de corticibus citri 3 v. Misc. f. potus.

Sumat V.M. in aurora. Hoc infusum vestræ Magnificentiaz admodum utile futurum confido. Nam sena pituitosos & adustos humores educit, & etiamsi aliquibus propter flatus est molesta: tamē quicquid sentiat alii Medici vetriculo innoxia. Hepar hoc modo & alia mēbra roborat, quia adstrictionem quandam habet, proinde hujus infusi usum hac hyeme magis, q̄ pilularum probarē, præsertim cùm audiam molestas fuisse alias pilulas, satis modestè & prudēter à Medico præscriptas. Cendum, præsertim in præservatione, judico ab aliis medicamentis, quæ à longinquo, vel ad articulos humores trahunt, & eos validè commovent. Quia sāpe incautio eorum

eorum usus paroxysmum adducit. Ceterum quemadmodum Hippocrates & Galenus monent, annuas purgationes non possum non laudare, & etsi praesenti Medico corpus, prout tunc sese habuerit, insipienti committendas puto; tamen & paucis sententiam meam exponam. Nam in vulgaribus confectionibus pharmaco-polarum parum spei pono. Ineunte igitur vere vellem suam Magnificentiam per aliquot dies bibere syrupsos hos :

ꝝ Aq. betonicæ ȝ iiiij.

Syr. de betonica ȝ j. Misc.

Deinde preparato corpore utatur sua Magnificentia hoc decocto :

ꝝ Herbar.betonic.

Ivæ arthetricæ.

Capillor.Veneris.a. M.j.

Stœchad. Arabic.

Salviæ an. P. j.

Myrobalan.citrin. ȝ vj.

Passular.enucleat. ȝ x.

Polypodii quercin.

Liquiritiæ a. ȝ j.

Agaric.albiss. ȝ ff.

Cortic.ellebor. nigr. ȝ j. ff.

Sem.citri.

Caryophyll.

Galangæ.

Sem.anis. an.ʒj.

Epithymi Cretic.

Fol.senæ el.an.ʒj.ß.

Rhabarb.el.ʒj.

Spicæʒß.

Decoq. l.a. in f. q. aquæ, ivæ artheticæ & fumariæ, id est, propemodum in libris tribus ad cōsumptionem medietatis, & myrobalani, sena, rhabarbarum, epithyimum macerētur integrum diem naturalem secundum artem, & fortiter exprimātur, ac depuretur expressio, & servetur usui in loco frigido. De qua dētūr ʒ iiiij. cui adde syrupi rosati solutivī, de corticibus citri an.ʒß. Misce, & sic pro uno, & reliquis duobus. Bibat autem hoc decoctum tēt aut quater alternis dieb. cum custodia diligēti. Quod si nō fortiter educeret, singulis diebus bibere posset. Observentur autem infaustæ constellationes, & ne in lunæ cōiunctione aut oppositione assumat. Quia verò cōcitatati humores à medicamento purgante s̄æpe impetu quodā ad membra feruntur

affe-

affecta, ideo cōsulo cum talibus purgationibus, vel etiam præscriptis pilulis sua Magnificentia utetur, ut fiat decoctum hoc:

¶ Absinthii.

Chamæmel.a.M.j.

Rosar.rubear.M.j.ß.

Salis ʒ ij.

Bulliant in aqua ferrata ad consumptiones medietatis, in isto decocto madefiat panus linteus, & applicetur locis affectis in manibus & pedibus die purgationis, & altero etiam post purgationem. Et cum deponitur, inungatur locus affectus hoc unguento leviter:

¶ Ol.rosat.omphac.tib.ß.

In quo coquantur lumbrici terrestres numero quindecim, loti in vino, & coletur, colatur adde: salis ʒ j. & terantur simul in mortario. Hac inunctione aliquot diebus sua Magnificentia utatur post purgationes. Etsi autem ab infuso senæ nihil est periculi; tamen utile est isto quoque unguento post infusum senæ inungere loca affecta. Missionem sanguinis licet Galenus in hoc morbo mirificè commendat, in libro de sectione venæ; tamen ego

de hac deliberandum esse sentio amplius,
& prudenti Medico, & præsenti phlebotomiam committo, neque hic leges præscribo. Vomitus quantum scriptis omniū Medicorum commendetur in hoc morbo sciunt eruditi, & habet profectò magnā utilitatem, non solùm ratione evacuatio-nis crudorum humorum; verumetiā di-
versionis. Proinde si Magnificus Domi-nus in mense semel saltem possit vomere, utile hoc sanitati futurum esset. Rationes ciendi vomitus, multæ sunt, sed nō omnes tutæ. Quo pacto vero ventriculus sit ro-borandus deinceps dicemus. Si Magnifi-cus Dominus hæmorrhoidum beneficiū possit consequi, vel natura, vel arte magnā id spem salutis ostenderet. Sed de hoc, & de cautériis dicam in consilio, quod post vernum tempus sum datus. Nunc de medicamentis alterantibus & roboranti-bus totum corpus, & ejus partes meam sententiam explicabo. Primò pro robo-rando uniuerso corpore, membris tam mandantibus, quàm recipientibus, uta-tur Magnificus Dominus singulis diebus manè tribus vel quatuor horis priùs quàm lecto

lecto surgat hoc electuario:

¶ Conser. Rosar.

Borragin.an. 3j.

Anthos,

Salviæ,

Citri condit.an. 3 3.

Theriac. præstantiss.

Mithridat. opt. an. 3j.

Sem. citri.

Corall.præparat.

Margarit. præp.an. 3 ij.

Fol. auri num. v.

Misc. & cum syrupo de corticib. citri q. s.
f. electuarium. Assumat autem ad magnitudinē castaneæ, vel nucis juglandis parvæ, & si supervenerit sudor, sese in lecto contineat, & sudet. Non tamen consulo, ut singulis diebus sudet. Neque, ut arbitrator, multūm sudabit, cum natura non sit assueta hoc modo musculosas partes expurgare. Hora decubitus alternis diebus deglutiat Magnificus Dominus granum unū thuris albissimi, aut hoc cūmsaccharo rosaceo commisceat. Mirificè enim proficit ventriculo & cerebro, ac in fluxionibus & catarrhis remedium est admodum

laudabile. Ad roborandum etiam cerebrum
& ventriculum, flatus discutiendos, & tardam coctionem, item oppilationes hepatis corrigendas, utatur tribus horis post prandium, vel hora una ante, rotula una de oleo anisi confecta. Et singulis diebus post assumptum cibum capiat cochleare plenum sequentis pulveris:

¶ Coriandri præparat. 3 j. ℥.

Panis albi tosti 3 j.

Corallor. rubor. præparat.

Margarit. præparat. an. 3 ij.

Sacchar. albiss. ℥. ℥. misc.

Hic prohibebit fumos, quibus repletur caput, & cibi in stomacho corruptionem, & coctionem juvabit. Ut autem calor naturalis adjuvetur, & hoc quoque modo cruditati, & tardæ coctioni resistamus, inungatur ventriculus hac hyeme singulis diebus cum sua Magnificentia è lecto surgit hoc unguento:

¶ Medullæ crurum vituli 3 j.

Pul. mastich. 3 j. ℥.

Caryophyll.

Macis,

Lig. aloës an. 3 ij.

Coral-

Corallor. præparat. 3 j.

Ol. caryophyllor. 3 fl.

Specieb. diligētissimē pulverisatis misc.
Quod ad capitis roborationē particulatim
attinet, pposui ante a lotiones cū levi ex-
tersione. Consulo autē ut cum lotionibus
utitur, accipiat olei amygdalarū dulcium
guttas decē, & his admisceat guttā olei ca-
ryophyllorū, ac caput inungat. Quia valde
cerebrum corroborat. Nocte autem hunc
pulverem futurę coronali super inspergat:

ꝝ Rosar. rubear.

Myrtillor.

Corallor. præpar. an. 3 j.

Mastich. 3 fl.

Misce f. pulvis.

Hoc remedio mirificè juvantur, quib. flu-
xiones ad partes inferiores decumbunt, &
caput debile est. Condito etiam macis sua
Magnificentia pro roborando ventriculo
& capite uti poterit. Hæc de alteratione
& roboratione membrorum principaliū
satis, quæ si Magnificus Dominus adhibu-
erit diligenter, plus verę utilitatis ex victus
ratione vera, & ex medicamentis præscri-
ptis, quam ex unctionibus, aut ullis aliis

medicaminibus percipiet. Terebinthinæ & ivæ arheticæ usus ratione morbi conveniens esset; sed propter ventriculum & caput reformido. Magnopere autem laudo Myrobalanorum conditorum usum. Nunc de tumorum, aut dolorum remediis pauca addam. Nam utinam nō nimis multa remedia Dominum in præsentem calamitatem deduxissent. Si haberemus oleum ex ossibus humanis, & oleum ceræ anteferrem hoc omnibus aliis medicamentis; sed cùm nunc non sit in promptu, nec statim possit confici, alia remedia eligenda sunt. Consulo autem ut in isto itinere tumori, qui est in genu, hoc medicamentū quinq; diebus adhibeat. Accipiat vitellos ovarum sex coctos ad justam duriatem, & addat croci 3 j, & commisceat, & tumori superimponat manè, & retineat quatuor vel quinq; horis. Cùm sua Magnificentia venerit Cracoviam, utatur deinceps ad œdemata & tumores, tam in manibus, quam in pedibus hoc unguento;

24 Pinguedinis Tauri 3 ij.

Salis usti 3 j.

Ol. olivar. 3 vj.

Misc.

Misc. probè in mortario.

Hoc inungatur per plures dies, donec sua
Magnificentia domum pervenerit, ubi ad
removendos tophos in juncturis hoc un-
guento utetur:

24 Mucellagin. althææ.

Sem. lini.

Ol. chamæmel.

Pinguedin. anseris.

Ol. vulpin. in qua vulpecula viva
sic cocta.

Ol. lumbricorum terrestr. an. ȝ ȝ.

Salis triti ȝ ij.

Croci ȝ j.

Misce f. unguentum molle, quo juncturæ
inungantur, & semper inspergatur pulvis
lumbricorum terrestrium lotorum in vi-
no & combustorum. Hæc satis de locali-
bus. Nā plura scribemus in consilio, quod,
Deo juvante, deinceps Magnifico & Ge-
nerofo Domino Palatino sum datus.
Unum addam à veteribus Medicis exco-
gitatum medicamentum, quo arthriticos
fanari posse affirmant, si per integrum an-
num ejus usus continuetur, vel ut mensē
Ianuario assumatur ad ȝ ij. per quinq; dies,

In Februario totidem & tantundem. In Martio per duos dies eandem quantitatē assumat. In Mayo tribus diebus. In Iunio uno solo die. In Julio duobus. In Augusto uno. Septembri duobus. Octobri duobus. Decembri duobus. Ita tamen ut præscriptā rationē victus servet. Sumat autem in diluculo in aqua ivæ arthetricæ, vel betonicae, cum syrupo de iva arthrica, vel betonica. Descriptio pulveris hæc est:

Aristoloch. 3j.

Centaurii 3 iij.

Gentianæ 3 vj.

Mei 3 v.

Hyperic. 3 vj.

Petrosel. Macedon. 3 β.

Agaric. albiss. 3 ij.

Rhapontic. veri , de rhababar el. si
Rhaponticum non habetur, 3j.

Ex his omnibus fiat pulvis cum summa diligentia. Hoc remedium, ut dixi, est veterum Medicorum, & à multis, ubi alia remedia nō contulerunt, expertum. Quod ego, qui veteran inventa amo & veneror, non improbo, atq; ejus usum vestræ Magnificentiaz cōmendo; sed ita ut aliorum quoq;

quoq; Medicorum eruditiorū , & rectè ac candidè iudicantiū sentētias audiat, quo- rum iudicio, & hoc meum consilium sub- jicio. Deum autē fontem vitæ, & sanitatis oro ut Magnificum virum clementer re- spiciat, & huic meæ curationi benignitate sua successum felicem reddat.

C O N S I L I V M X VI.

*In Podagra pro quodam generoso
Domino.*

Cùm de eo, quod verè cognoscit Medi- cus, cōsiliī sui rationes rectè exponere pos- sit; miror mihi initio tenebras quasi obiici, cùm perscribitur inunctionibus chymicis longo tempore illustrem Dominū usum, & silentio causæ, quibus malæ qualitates sint inductæ, prætereundæ videntur. Cer- tè cùm consilium à me expetatur, inpri- mis de his me moneri oportebat, sed ut ut sit, ne officio meo defuisse videar, sim- pliciter sententiam meam exponam. In- itio autem hoc affirmo, me inunctiones chymicas toto pectore aversari; idque istis rationibus adductum facere; pri- mūm, quia ciusmodi medicamenta calori

naturali non sunt proportionata, itaq; ut
vim adferant naturæ, vel eam lœdant ne-
cessæ est. Secundò, quod sulphur & mer-
curius metallicorum nulla arte ita planè
corrigitur, ut naturæ cōveniens reddi pos-
sit. Postremò, quod violentum naturæ ini-
micum sit, neq; Medico, qui naturæ sub-
servire debet, usurpandum. Quod verò ad
cauteria attinet; cùm materiam Medici
non tenuem tantùm, sed mixtam, crassam
atque falsam esse fateantur, quid iis profi-
cimus? Pauca materia, eaq; tenuis per fon-
ticulos istos, ut appellant, evacuatur; cùm
ista Podagrici maximè abundēt, imò cras-
sa materia Podagram gignere non possit,
nisi tenuis illa, & serosa, tanquam vehicu-
lum adsit, & inflāmationem excitet. Hoc
verò si tota per cauteria posset euacuari,
nihil convenientius Podagricis effet cau-
teriis seufoniculis istis judicare. Verùm
cùm videamus quàm exigua pars effluat,
atque illud, quod effluit, nō tam ad cura-
tionem, quàm præcautionem morbi fa-
ciat, quorūsum propter parvum atq; incer-
tum commodum magna incōmoda sub-
eunda. Multis enim exemplis erudimur,
quàm

quām minimē tutō cauteria, præsertim in pedibus, atq; hoc nostro Germanico aëre, adhibeantur. Et dum propter aëris Germanici intemperiem, & frigiditatem clauduntur, quām subitō mors consequatur? Possem aliquot recitare clarissimis Medicis non ignota exempla, si neceſſe eſſet. Sed faceſſe fonticulos iſtos nō ratione podagræ, ſed ſanandorum ulcerum fieri. Si hoc quærimus, vel diversionis, vel derivationis finem ſpectamus. Eam autē quomodo conſequi liceat, ſi ad membrum affectū materia trahatur & deducatur, Medici viderint. Non libet in hāc ſententiam ſcribere plura. Cūm autem corrupti humoris ſerofī & ſalfi remotio ē corpore manifeſtē nobis indicetur; eas vias, quas na- tura demonſtrat, perfequamur. Primū igitur optima victus ratio preſcribatur, deinde, mixti, crassī, atque maligni humorib[us] præparentur, præparatiq[ue] evacuentur. Præparari poterunt decocto cardui benedicti, educi atq[ue] evacuari agarico. Nam ſimpliciſſimis medicamentis utendum cenſeo. Hoc modo crassioribus humoribus ē corpore remotis, propinandum ad ſum-

mum viginti quinque, vel triginta diebus decoctū sarsæ parigliæ: ita ut in octo libris aquæ duæ vel tres (siquidem sarsa pariglia non sit recens & bona) unciæ decoquantur. Sumat autem octo primis diebus tantum unum haustum sudoriferum matutinè, deinde decem diebus bis in die bibat atq; sudet. Ad extremū rursus uno die semel tantum utatur. Aëri se non exponat, & abstinentis abstineat. Rectam victus rationem observet non modò incuratione; verum etiam post curationē. Pro potu utatur secundo decocto, in quo radices eryngii admisceātur, ut serosis humoribus per vias etiam urinæ exitus patefiat. Scimus quantum sarsæ usus in periculofissimorū ulcerum curatione prospicit. Caput autem & summam curationis podagræ esse statuo: efficere ut corpus serosis humoribus vacet. Rationes sæpe Medicis à me sunt ostensæ, nec hoc loco referendæ. Si tamē hac curatione serosi humores exhausti, exulceratae partes curari & roborari non possent, aliud consilium de thermis Landecensibus in promptu esset. Quæ profectò si tempestivè à moderatis hominibus (quis enim

enim immoderatos & intemperantes cu-
ret) adhibeantur plurimum momenti in
cura podagræ, modò morbus sit curabi-
lis afferunt. Sed de thermis alio tempo-
re agemus. Illud nunc moneo, cum ma-
teria salsa & acris graves dolores in par-
tibus, quas exulcerat, inducat, ut ad
contemperandum & leniendum illam
pulmentum ex radicibus althææ in pulve-
rem redactis, atque in laete decoctis lo-
co affecto, & dolenti adhibeatur. Quan-
tum hoc cataplasma valeat, res, ut spero,
ostendet. A benignissimo autem Deo,
qui solus sanat & curat, benignè hoc for-
tunari opto.

C O N S I L I V M X V I I .

*In Podagrico dolore pro quodam Ma-
gnifico viro.*

In Podagrico dolore, duo præcipue cō-
siderāda sunt: Fluxio & materia fluēs, atq;
membrorū seupedum imbecillitas. Mate-
ria fluēs in hoc corpore præcipue à capite
descēdit, estq; frigida, serosis humorib. cō-
mista. Line immodicē in hoc corpore au-

geantur, recta victus ratione, capitis tempestiva lotione & sudore præcavendum. Ad victus rationem quod attinet, velim simplicissimam eam esse, pisces, cancros, lacticinia, cruda omnia à mensa remove-ri, distincta spacia prandii atque cœnæ ob-servari. Cœnam parcissimam esse, pome-ridianum somnum caveri, neq; cubitum, nisi duabus horis post cœnam ire, à potu, remota mensa abstinere, neque unquam, nisi dum cibum sumit bibere. A vino for-ti sibi temperare. Rhenanum purum con-venientissimum erit. Ab Ungarico & Au-striaco, dulcibus etiā omnibus & impuris cavere. Vina medicata ex carduo bene-dicto, vel betonica profunt. Balnea, equi-tationes, concubitum frequentem pluri-mūm nocere omnibus notum est. Proin-de & Poëtæ fabulantur, ex Bacchi atq; Ve-neris concubitu natam Podagram, signifi-cantes ebrietatem & venereorum usum in primis Prodagrā procreare. Sudor ma-tutinus in lecto utilissimus est, ac si ad eum se assuefecerit, haud dubiè commodum percipiet. Caput in septimana bis vel ter ante cœnam abluat, & in lixivio polytri-chum

chum herbam decoquat, & sapone tali
utatur:

4 Saponis Venetib. j.

Santal. citrini.

Rad. ireos a. 3j. β.

Caryophyllor. 3j.

Ambræ g. vj.

Dissolvatur sapo aqua rosarum, & admi-
scetur species, ac stent in loco calido, re-
formentur globi. Post capit is lotionē aëti-
se non exponat, sed intra conclave deti-
neatur. In hyeme utatur interdum The-
riaca, vel Mithridatica antidoto ad magni-
tudinem avellanæ, mane ante sudorem in-
lecto. Vere autem, æstate & autumno su-
mat hunc pulverem:

4 Cornu cervi crudi 3j.

Cornu cervi usci.

Rasuræ eboris a. 3 β.

Ossium de crure bovino 3ij.

Corall. rubeor.

alborum an. 3j.

Cinnamom. el. 3j. β.

Sacch. albiss. 3ij. Misc. f. pulvis.

De hoc accipiat quantum cochleare po-
test capere horis tribus ante prandiū. Ab-

fumunt enim isti pulveres superfluos humores, qui fluxionū sunt materia. Ad roborandos pedes quod attinet, etsi ita eorum robur exhaustum videatur, ut restitui vix possit: tamen conandum est. Primum igitur hoc fomento utatur, accipiat origanū, artemisiam, agrimoniam, & betonicam, ac decoqui jubeat. Hoc decoctum calidè injiciatur vasi idoneo, & pedibus panno simplici primum coniectis, excipiatur fumus, deinde pānus duplicitur, & magis magisque cōtegatur, sudor abstergatur. Rursus silices igniti injiciantur, & sudet per dimidiām horam. Hoc fiat matutinē cùm lecto surrexerit per aliquot dies; maximèverò cùm dolores remiserint. Nam præsentibus doloribus hoc fieri nequit. Post fomentum illud inungantur pedes aqua è vitulino hepate cum salvia destillata. Est aliorum quoq; destillatorū, & unguentorū usus; verū cùm res declaret, minimè bono successu ista adhiberi, abstinendum censeo. Pedes non lavet; sed ex decocto origani, & agrimoniae in vino adiecto sale, cùm spongia vel linteo mundet, idque saxe faciat. Dolores cùm tolerabiles sint, medi-

medicamenta quibus in paroxysmis utē-
dum sit non præscribo. Aqua è floribus
verbasci, in quibus flores verbasci æstivis
diebus macerentur in sole tutissimum re-
medium ad sedandos dolores, si linteola
ea imbuta loco dolenti applicentur, puto.
In principio quidem folia rosarum rubea-
rum sicca, & rasura cornu cervi in aqua ista
ligata in petia, & expressa imponi possunt,
ita ut vi astrictoria affluxus prohibeatur.
Deinde ut citius ad statum inflammatio-
perveniat. Aquæ verbasci parum myr-
rhæ addatur. Plura remedia non præscri-
bo. Hæc verò ut à benignissimo Deo for-
tunentur opto.

C O N S I L I U M X V I I I .

In Quartana pro quodam Nobili.

Hanc febrim esse à crasso humore con-
stat, undecunq; crassitiem habuerit. Gale-
nus 13. Method. & in lib. de tumoribus ait,
crassos humores, vel à sanguinis fecé,
vel à pituita oriri. Itaque quartanam à pi-
tuitosis humoribus feculento sanguine
mixtis nasci posse statuo. In hac quoque
sententia est Galenus 2. de crisibus, ubi

pituitam crassa sua consistentia naturam humoris Melancholici referre ostendit. Sed venio ad quæstiones. I. An exquisitor evacuatio hoc anni tempore sit adhibenda? Respondeo, concocta medicanda esse ait Hippocrates. Cùm autē hic morbus longus sit, & concoctio tarda, nihil aliud est intempestivè in hoc morbo purgare, quām vires ventriculi imminuere, humores turbare, ex crassis crassiores, & ex longo longiorem efficere. Nunquam purgandus Melancholicus humor, nisi priùs educta pituita. Ideò laudatur vomitus. Hic clysteria sola sufficiunt, nec debilis ventriculus affligēdus. Si omnino purgans dandum, darem trochiscatum Agaricum; sed priùs aliquot diebus decoctum raparum cum sacchari drachma una, & parum Zinziberis, vel integra grana piperis. Ad II, De Theriaca dāda assentior; sed leviora priùs darem, Nucleos persicorum quinq; vel sex, & cochleare unum syrapi de succo melissæ, vel haustum aquæ melissæ probi destillatæ, deinde ad Theriacā venirem. III. De Melanagogō dando in hac imbecillitate ambigo. Medicus enim

Chri-

Christianus tutò debet mederi. IIII. De
vene sectione. Afferunt Practici experien-
tiam. Ego, nisi insignis sit cruditas, non re-
pugno. V. Si hæmorrhoides rectè pos-
sunt aperiri, & indicia apparent tumoris,
planè placeret mihi, hoc præsertim tem-
pore. Acidularum usus spleni prodest, &
splenis affectio quartanæ curationem fa-
cit difficiliorem. Probo tamen ut viscerū
robur per olea & fomenta convenientia
roborentur. Ita enim facilius curatur, nu-
tritur, dormit. Affectiones animi caven-
dæ. Inunctiones spinæ dorsi in rigoribus
probantur, & veteribus Medicis in usu
fuere.

C O N S I L I U M X I X.

*In quartana pro alio quodam viro
Nobili.*

Quartanas tutas esse etiam plebeis no-
tum est; verùm non tractandæ inclemen-
tius, ne aliis morbus accedat, & diutur-
nitate vires frangat. Itaq; ut in aliis morbis
longis, victus ratio tenenda, quæ robur nō
diminuat, nec, ut vulgus putat, in abstinen-
tia spes curationis ponenda. Abstinendū

à falsis, & maceratis carnibus bovinis, cer-
vinis, suillis, piscibus, anguillis, carpioni-
bus, saxatiles cum aromate concedo. Non
lacticinia, & acetosa. Comedat carnes af-
fas & elixas. Molliora semper præcedat, ut
endivia, lactuca, atriplex Romana, id est,
spinachia cù uvis passis cocta. Cruda quo-
que in mēsa vitet. Die paroxysmi ante pa-
roxysmum, cùm nunc matutini sint, non
edat, à paroxysmo edat. In longis enim
morbis virium robur præcipuam spem cu-
rationis facit. Potus, vinum Rhenanum,
vel Neccarinū, modò non acidum. Non
cerevisia cruda & flatulenta. Hordeaceæ
defecatæ profunt. Somno nihil detrahen-
dum, modò ne sit paroxysmus, vel in-
stet. In remissione non est noxius. Nun-
quam dormiat apertis fenestrīs. Cùm ab-
est febris exerceatur, non defatigetur. Vi-
tres si debent conservari, venus debilitans
caput & ventriculum vitetur. Cæterū
cum solida & carnes h̄ic diminuātur, pro-
dest die paroxysmum sequente in lābro a-
qua dulcis ex flumine haustæ lavare, non
tamen sit nimis calida, & totum corpus
hoc unguento inungere;

¶ Ol.amygd. dulc.rec.express. 3 iiiij.

Succi artemisiæ express. 3 ij.

Coquantur simul, & dentur in vitro.

Quotidiè habeat beneficium ventris, & à medicamentis purgantibus vehementibus, etiam roborantibus calidioribus abstineat. Alvum moveat hac potionem:

¶ Passular.minor. 3 v.

Flor.borrag.

Violarum an.P.J.

Herb.ceterach.

Epithymi a. 3 iij.

Folior.senæ select. 3 vj.

Decoq.l.a.in f. q. aquæ puræ, colaturæ **¶** 3 iiiij.his add.

Syr.rosat.solut. vel de violis solut. 3 j.

Mannæ el. 3 vj.

Syrupi conservat. Zinziber. parum.

Misc.

Prodest etiam orbiculum unum cum extracto Rhabarbari assumere. Ad præparationem humorum nihil melius decocto raparum, & usu nucleorum perficorum. Ad symptomata: Quartana laborantes affecto sunt splene, etiamsi non sentiant. Ungatur igitur splen hoc unguento:

¶ Ol.amygd. dulc.rec. 3ij.

Succi veronic. 3j. fl.

Succi cæpar. 3ij.

Cortic. radic.capp. 3j. fl.

Coquantur diligenter & exprimantur, &
colaturæ add.

Axungiæ gallin. 3j. & misc.

Epati admoveatur sacculus ex furfuribus
hordei aqua ista aspersa:

¶ Aq.Taraxacon.

Vermicular.an. 1lb. j.

Aceti rosac. 3j.

Syr.pro epithemate hepatis 3ij. Misc.

Ubi calores febriles intensi, fiant duo sacculi ex furfuribus hordei & dorso applicetur, & permuntentur. Et quia sudor & calor post febrem molestus, & vires frangit, spina dorsi hoc unguento ungatur à paroxysmo:

¶ Ol. Violar.

Nymphæ.

Lactis muliebr. an. 3j. Misc.

Ante paroxysmum bibat poculum aquæ melissæ, in qua parum conservæ borraginis maceratum sit.

*De præservatione à morbis pesti-
lentibus.*

Requiritur à me ut paucis describā rationem præservandi à morbis pestilentibus, id ut faciam singularia humanitatis officia requirunt. Tota autem præservationis ratio, cùm in vitatione causæ veretur, primū generales causæ distinguedæ sunt. Est autem generalissima aér, atq; ab eo veræ pestilentia, quas nos publicas appellamus, proveniunt. Minus generales sunt, corrupti cibi, & ea quæ humores in corporibus vitiant, atque impura redundunt. Unde privati morbi pestiferi oriuntur, qui tamen publici fieri possunt, si putredo ad eum gradum perveniat, ut morbidam expirationem habeat. Sed de his agere non necesse est. Nam ejusmodi privati pestilentes morbi facile possunt præcayeri, si corpora sint pura, & recta victus ratio adhibeat. Publicas autem pestes, quæ plerunq; bubonibus, vel carbunculis sunt insignitæ, ut quarum seminaria in aëre continentur, non alia ratione melius vi-

tamus, quām aēris mutatione, ita ut de impuro aēre in puriore nos cōferamus. Id si facere non conceditur, hęc quatuor observemus necesse est: primō, ut aēr non modò à putridis vaporibus; verūm à seminariis etiā pestis diligentissimè p̄purgetur. Secundō, ut opera detur, quō corpus excrementis vacet. Tertiō, ut cor adversus præpotētem causam, & inspirationē seminariorū muniatur. Quartō, ne ulla putrefactioni humorū in corpore causa detur.

D E P R I M O: Aēr nō melius purgatur, quām ventilatione & igne. Proinde si à locis salubribus flant venti, ii admittendi. Si seminaria eos flatus cōtinere suspicio est, hoc est, si ex ea parte, in qua plurimi laborat, spirant, aditu phibendi. Ignes autē accendere, maxime ex juniperi ligno, itē rosmarino, & aliis redolentibus vulgo etiā notum. In æstate foliis vitis, salicis, violarū, cydoniorum conclave ædium, in quo habitamus, inspergendum. Hyeme suffit utendum ex contusis baccis juniperi cum pulvere succini. Possunt & orbiculi redolentes manibus admoveri hoc modo:

¶ Cortic. citri.

San-

Santal.

Ligni aloës an. 3*fl.*

Storac. calamit.

Ladani an. 3*j.*

Galliæ conditæ,

Aleptæ conditæ an. 3*fl.*

Ambræ grys. *g.* iij.

Misc. & cum mucillag. Tragac. *f. orbic.*

Quàm minime in publicū prodeat, & cùm
excundū est, antidotū, de quo tertio loco
dicemus, sumat, & corticē citri, vel angeli-
cam in aceto præparatam in ore gestet.

D E S E C U N D O : Nihil possumus præ-
scribere de excrementorū evacuatione.
Sed hac in parte Medici præsentis opera
utēdum. Cæterū hoc monemus, excre-
mentorū proventum cavendi nō meliorē,
neq; tutiore rationē esse, quàm si recta vi-
ct̄ ratione utamur, & operā demus ne cor-
pus repleatur etiam boni succi cibis, mali
verò succi omnes amoveamus; varietatem
ciborum caveamus. Quæ assumuntur ea
aceto, succo limonū sint conditæ. Insper-
gatur etiā cibo cornu cervi in pulverē re-
dactū cum cinnamomo, pulvere tormen-
tillæ, & hora una ante cœnā assumātur istæ

pilulæ bis vel ter in septimana:

24 Aloës rosac. 3*fl.*

Myrrhæ 3*ij.*

Croci 3*j.*

Ambræ gryf. 3*fl.*

Cum syrupo de cortic. citri reformatur
pilulæ mediocres, de his accipiat drachmā
dimidiā.

D E T E R T I O : Eorum quæ corroborant,
& adversus præpotentē caufam tueruntur,
omnes vulgares libelli sunt pleni. Veram autem
pestis antidoton soli Deo notam non est dubium. Itaq;
divinum auxilium præcipue implorandum. Ego ad præ-
servationem in primis utile puto electua-
rium de nucibus, hoc modo factum:

24 Nucum jugland. num. xx.

Caricar. pinguium num. xv.

Rad. tormentill.

Pimpinell.

Baccarum lauri.an. 3 *ij. fl.*

Cortic. citri.

Galangæ.

Macis in aceto præpar. a. 3*j. fl.*

Fol. absinthii.

Rutæ.

Scabiosæ a. M.j.

Flor.borrag. M. ß.

Cornu cervi.

Boli armen.

Terræ sigillat.a. 3 ij.

Myrrhæ el. 3 j.

Croci 3 ß.

Cum 1 lb. iij. mellis despumati f. electuariū, de quo sumatur mane, vel cùm in publicū prodit ad magnitudinem castaneæ. Sunt & alia multa. Verùm si interdum, ne uni medicamento affuescat natura, variandū est, consulo, ut Theriaca bona, vel mithridatica anditotus sumatur, vel hoc electuarium:

ꝝ Radic.verbasci.

Tormentill.an. 3 iij.

Sem. citri 3 ij.

Succiverbenæ.

Meliss.

Cardui bened.a. 3 j.

Sacch.in aq.melisse dissol.coq.lento igne, & f. electuariū, accipiat cochleare parvū.

DE Q U A R T O : A putredine præservant ea omnia, quæ priùs dicta sunt. Maxime verò creber usus pilularū supra descri-

ptarū. Item pulvis cornū cervi sēpe assūptus, terra sigillata, bolus armena, moderatus sudor matutinus, & qui corpus perspirabile reddat, si benè extergatur. Maximè verò potus vini puri cum foliis cardui benedicti. Hæc autem omnia, ut à præpotenti Deo benignè fortunentur, precor.

C O N S I L I V M X X I.

*In rubore faciei post cœnam cum sudore pro
quodam Nobili viro:*

Rationali Medico symptomata oblatā, & quasi in oculos incurrentia ad suas causas deducenda sunt, & videndum an causa rationem morbi habeat, & quid primò, ac per se actionem lædat. Nam sin ulla actio, ut in hoc casu, qui modò proponitur, lædatur, nec morbum adesse, nec curationem requiri certum est. Verùm cùm præcautioni in inchoantibus malis opera dāda sit, & illius modus in hac præternaturali affectione à nobis requiratur Methodica via ea inquirenda est. Rubet post cœnam facies, interdum sudor consequitur. Hæc itaq; consideranda, & primùm cùm in corpore nihil absq; aliqua causa accidit,

ea in-

ea inquirēda. Ruborē à sanguine esse, nūl-
lus enim humor prēter hunc rubet, cōstat.
Sudorem verò ab humidi copia, utrunq;
verò ab impellente. Impellunt autem vel
spiritus, vel vāpores, neq; facile impellunt,
nisi plenitudo adsit. Consequitur igitur ex
methodica ratione multitudinem sangu-
nis esse minuendā. Deinde ne impellētia
impetū faciant cohibēda. Ad primum, ne
nimium redundet sanguis, vel viētus ratio-
ne, vel detractione illius efficiemus. Vi-
ētus igitur ratio ejusmodi instituenda, quę
copiam minuat, nec ut perscribitur galli-
nis perpetuò vescendum, vel vinum, præ-
sertim potens atq; fumosum, vel crudum,
quod in hypochondriis hāret, biben-
dum. Imò dum hāc affectio durat in cœ-
na à carnis prorsus abstinentia, &
hordeo probè cocto, atque similibus ci-
bis, qui neque copiam sanguinis atgeant,
neque multos vāpores ad caput trans-
mittant, utendum. Vini etiam tñico hau-
stu contentus sit in cœna, & ad sitim ex-
plendam cerevisiam puram, & quæ vapo-
ribus caput non repleat, minimumque
lupuli habeat, addat. Scio hīc ad paucarē
spicientes posse reclamare; verūm quan-

tum in corporibus consuetudo valeat videndum. In prandio verò prolixius carnis & vino uti poterit, ita tamē ne perpetuò gallinaceas carnes, aut similes, sed interdūm duriores, & quæ minus tenuem sanguinem generant, comedat. De sanguinis verò detractione præsenti Medico observandū, an ita abundet, ut ex magnis venis vacuādus sit, anverò alia missioni sanguinis obstent. Quin per cucurbitulas de trahendus videatur nullum esse dubiū arbitror, itaq; suo tempore cucurbitulæ adhibendæ. Deinde ad alterum scopum, videlicet, ne vapores impellentes humores ad caput, & universum corpus detrudantur, & ruborem ac sudorem cōcident actio Medici intendēda. Etsi verò sublata multitudine hoc non fieri posse existimē, præsertim cùm vapores, non tam à ventriculo, quām universo corporis habitu ad caput devehantur; tamen & in eo laborandum, ut vaporibus resistamus. Cùm verò ab universo corporis habitu feruntur, in primis victus ratione, quæ massæ sanguineæ subveniat hoc præcavendum. Ventriculo ea, quæ ad complexum cibi, quem vul-

vulgo occlusionem stomachi vocant, faciunt administrada. Deinde ne caput atq; cerebrum incalescat, & ut Hippocrates loquitur, tanquam cucurbita ad se vapores trahat videndū. Itaq; præclarè Celsius monet, quibus caput infirmum est, iis ne cogitationem quidem à cibo tutam. Omittat igitur serias cogitationes omnes, & jucunda atq; grata post cœnam agat. Medicus autem ea, quæ ad id faciunt, ut ventriculus roboretur, & cibum amplectatur, (ea autem siccandi vim habere absque calefactione oportet) præscribat. Peritus, & usu artis prædictus ex ea sylva, quæ magna est, facile materiam, observatis iis, quæ in præcautione observanda sunt, inventiet. Faciat Deus, ut quod est optimum ac saluberrimum eligat. Nam ego mihi partes docendi doctiores non sumo.

C O N S I L I V M X X I I .

In febri intermitente pro quodam Nobili puerō.

In pueris febres intermitentes, præser-tim tertianæ minus quidem periculose censentur; sed si diutius perseverent, gra-

vius afficiunt calorem innatum, & membra nutritioni servientia. Itaq; ubi natura non potest eas superare, ad tuta medicamenta confugiendum. Est autem in hoc puerō cum bilioſo humore plurimum pituitæ, cùm febris tam diu duret. Ejus preventus vietu vitetur, deinde humor tollatur. Non lacticinia, nec pingua edat, nec in calore edat, nec nimium edat. Ad purgandum velim enema, cùm pueris non tutò per os dentur. Ut autem membris naturalibus succurratur, potest post evacuationē dari in potu absinthium ponticum. vel ungatur hoc unguento ventriculus:

℞ Ol.amygd.dul.rec. 3ij.

Comar.absinth.pontic.M.j.

Rosar.rubear.P.j.

Caryophyllor. 3 ſ.

Decoq.affusa 3j.vini, ad vini consumptiōnem, & addatur:

Aloës optim.3j.ß.

Mastich. 3 ſ.

Ceræ parum, Misc.f.unguentum.

Hypochondria autem oleo chamæmeli-no quotidiè manè foveantur. Si calores graviores sunt, fiat sacculi furfuribus hor-deaceis

deaceis impleti, dorso supponantur, vel potentilla herba sale aspersa & aceto soleis pedum, & arteriis etiam apponatur.

C O N S I L I V M X X I I I .

*In Tumore in genu post febrim pro puerो nobilis
duodecim annorum.*

Nihil mē cōfilio accuratissima diligen-
tia scripto addere posse, vel debere, vero
animi iudicio statuo. Ut autem morem ge-
ram iis, quorum autoritatem defugere nō
debeo: Casum perdifficilem esse fateor;
& oculis quām calamo uti mallem. De-
scribitur hic puer duodecim annorum,
temperamento humido & frigido. Cūm
enim non sit alaeris; sed potius fēgnis, cor
minimē calidum, cūm decolor, & subtu-
midus, jecur frigidius, cūm somnolentus
& catarrhosus, cerebrum haud dubiē hu-
midius. Ex harum autem principum par-
tium cōstitutione de totius corporis tem-
peramento, judicium facere, Medicis
est constitutum. In hoc igitur phlegmati-
co habitu, non mirum extitisse febrē diffi-
cilem & contumacem, ac catarrhis, tussi,
& sopori conjunctam. Abundarunt enim
humiditates, nec facile potuerūt à natura

evinci. Itaq; ex earum corruptione & putredine febris haud dubie originē duxit, quæ & suo calore has exagitavit, & partim in vapores redegit, quorū mole cerebrum pergravatum, ibi deniq; rursus condensatis in fauces & pulmōnem delapsis catarrhum & tussim excitavit. Porrò febris vegetativam facultatem, non satis validam, magis debilitavit, ut malorum humorum major fieret proventus. Non mirum igitur si obortus est tumor in genu post febrim, quemadmodum Galenus comment. ad sententiam i. sectionis 4. 6. Epidem. ostendit. Laxa est enim illa junctura, & humorum capax, quorum onus natura à visceribus protrudēs facile in declivem locum devolvit, præsertim aliqua occasione vehementioris cursus, aut deambulationis calefactum. Existimo verò consecutum cœdema erysipelatodes. Itaq; purgationem serosorum & pituitosorum humorum, diætam exiccatem, viscerumq; vegetabiliū, hepatis in primis corroborationem cōprobo, quamvis nihil spciatim explicetur, præter pultem ex pulpa panis albi, roris, oleo chamomēlino, croco & la-

& lacte caprino paratā, quæ cur fuerit adhibita nō satis affequor. Si adfuisse dolor, qui perexiguus scribitur fuisse, hujus causa potuisset, ut *air adūvō* applicari. Si causa suppurationis, differendum fuisse existimo. Priùs enim tentāda est resolutio tumoris, quæ si nō possit sperari, ad suppurationem deveniendum. Resolvere autē tumorem ista puls non potuit. Non enim eo calore, eaque facultate attenuandi & penetrandi prædicta est, ut possit frigidos, serofos, & phlegmaticos humores, præsertim densis membranis, tendinibus, ligamētis, & amplæ ossium articulationi penitus impactos, in exhalationē cōvertere, evocare & discutere. Quare Galenus, Aëtius, & ex recentioribus Vigo, in hujusmodi tumoribus adhibent potentius cataplasma ex stercore caprino, columbino, & similibus rebus cum posca aut lixivio incorporatis. Immò puls illa mihi vix satis fuisse videtur ad suppurationem inducendam. Nam hanc perficit calor concoquens, qui nō magnus est in partibus osseis, nervosis, membranosis, & præsertim ab humorum frigidorū mole obcessis. Augeri igitur hunc oportet, ut ro-

borata pars possit illapsos humores satis valido calore subigere. Aquosa materia, & nonnihil sanguinolenta, quæ ex loco aperito effluxit, nō ostendit suppurationem factam. Nullum enim signum coctionis. Existimo illam potius copia sua exuberans, & decubuisse nonnihil in suram, & acre-dine sua evasisse. Assentior quidem fuisse apostema quasi criticum, quod soverit cerebri, jecoris, & loci affecti int̄peries, sed copia affluentis serosi humoris paucorum exemplis res est. Narravit mihi h̄c D. Abrahamus, paucis ab hinc annis duos se vidisse, qui cùm ad articulum læsi fuissent, propè exanimati fuerint ex effreni fluxu aquæ articulorum, quam vocant, *Gliedtvaffer*. Evidē scio læsis ligamentis, chordis, ossibus, magna copia serosam materiam effluere, quæ chirurgo solet in cæcis sinibus illorum corruptionem aut læsionē prodere. Atq; eam ob rē Galenus 3. de composit. medic. secundū genera, in vulneribus nervosarū partium adhibet medicamentum ex euphorbio vehementer exiccās, quod memini feliciter usurpari in sauciato genu, cùm vulnus ex affluxu istius aquæ

a quei humoris pessimè se haberet. Cur falsæ decoctum & thermæ nō profuerint, vera causam Dominus Doctor assignat, quod multa materia putrida in occultis sinibus retenta perederit membrum ad os usque. Non potest enim sperari sanatio, nisi auferratur os, & quicquid corruptū est, ad quod præstandum non satis fuerunt falsæ decoctum & thermæ. Cùm autē non nihil exiccarint, factum est, ut affluens humor induruerit, atq; in carnem flaccidam abierit. Recte cerebri & hepatis fuit habita ratio in victu & medicamentis, Benē etiam factum, quod liquores mundificantes & abstergentes fuerint siphone infusi, & foris etiam pulvilli imbuti decoctione rerum metallicarum appositi, ad prohibendam majorem putredinē, quæ omnia, licet speciatim nō indicentur, credo tamē fuisse ad rem accommodata. Decoctū apii in vino & aqua bis quotidiè exhibitum, non fuit malè excogitatum ad expurganda ulcera, & seroforum humorum per urinam diversionē. Sed metuo, cùm apium sit ex diureticis, quæ sanguinem attenuant, fluidumq; reddunt, & ab eo serum separant,

ne impetū scroforum humorū ad locum
affectum parum inhibuerit. Causam fru-
strati effectus non colloco in imbecillitate
medicamentorum, sed in abditis & inac-
cessis sinibus ulcerum, in quibus retenta
sanies, ac propterea habitum, & integrita-
tem partis magis magisq; corrumpens, nō
potuit repurgari. Quare bono consilio si-
nus fuit rescissus, ut liber esset sanieī efflu-
xus, & applicanda idonea remedia, (hoc
est, quæ carnem flaccidam absumerent,
sanieī repurgarent, & asperum os corri-
gerent) facultas. Quod si ne sīc quidē ma-
lum vinci possit, laudo potionem vulnera-
riam, quæ sāpe mirum in modū ulcerum
sorditiem, & squamas ossium corruptorū
eliminat. Probo etiam lotionem pedis ex
Mastiche, thure, sulphure, sale, alumine, in
lixivio & vino decoctis. Oleum vitrioli aut
sulphuris, vel deniq; cauteriū actuale suc-
cedunt pulveribus catagmaticis, qui os
corruptum tollere non potuerunt. Ac po-
stremum refugium est suffitus. Sed me-
tuo ne malum vires nimias acquisiverit,
cūm diutius imbecilliora medicamenta
in gravissimo morbo sint adhibita. Mihi
enim

enim minimè dubiū videtur subesse magnam ossiū cariem, pluresq; sinus, ex quibus compressis sanies effluit, quæ retenta madore suo os inficit. Sed potest fieri, ut errē, & errare me opto. Hoc verò pro certo habeo, non posse ulcus cum corruptione ossis conjunctū priùs sanari, quām hæc auferatur, vel pulveribus catagmaticis, vel oleo vitrioli, vel cauterio, vel dñiq; ferro. Cùm verò caro interjecta sit, ab hujus resectione, in pueris præsertim, meritò abhorremus. Interea autē malum eundo vires acquirit. Suffitum metuo, & quod malignitatem habeat, qua possit puer lædi, & quod materiā cōmoyeat sursum in pulmonē & fauces. Meum cōsilium est, ut chirurgus diligenter querat foramina in quæ per fistulā cauterium immittat absq; læsione & dolore vicinarum partium, ubi nimirum os corruptum & periosteon nudatum cognoverit. Et si enim totū os corruptum non aduratur, tamen aliquibus locis inustum in se cōtrahitur, & quasi corrugatur, atq; secū aufert reliquas partes corruptas non adustas. Postremò non possum non monere ex Galeno comment. ad sentent.

Epi. sect. 2. prognostic. Abscessus hujusmodi in genita ferè adferte claudicationē, quod equidem duabus de cāūssis evenire puto, vel quod humor in profundo delitescens inter patellam & articulum, cùm discuti & resolvi nequeat, propter partis infirmitatem, & caloris inopiam, sua s̄epe sede ossa dimoveat, vel si articulus penitus exulceretur, quod hujus sanatio consistat in exiccatione, qua mucilago serviens flexioni junc̄turarum ad articulum ossium induratur, & capita ossium distinctorū terminat. Omnino abscessus in genu magni est negotii; quòd humor penitus in articulo capaci imbibatur, nec resolvi facile possit, retentus verò in parte excarni, nec robusto calore prædicta malignam qualitatem contrahat, nec ei exitus sectione in parte exquisiti sensus, absque periculo pravorum symptomatum parerunt. Quare optimo puero bonum & prudentem chirurgum opto, qui eum rectè tractare possit, cuius judicio meam sententiam de re non visa planè subjicio.

C O N S I L I U M X X I I I .

*In Melancholia hypochondriaca pro quadam
feminanobili.*

Symptomata nos in cognitionem morborum deducunt. Ea cum ad suas referuntur causas, morbi cognitio elucescit. Sunt enim symptomatum causae morbi, atque ii Medico curandi. In Melancholia autem hypochondriaca ita maligna sunt symptomata, ut exercitatissimi etiam Medici de loco affecto nequeant statuere. Itaque ad ea, quae Hippocrates noster de mulierum & virginum morbis nobis scripta reliquit, animum refero, & ut mature huic malo obviam eatur moneo. Recte vero factum, quod est purgata. Ac purgari eam crebro, id est singulis septimanis bisvelim, non alio medicamento, quam pomorum succo, in quo folia senae decoquantur. Si succus buglossae haberetur, & succo pomorum admiseretur, admodum coveniens esset. Mittatur etiam sanguis ex venis pedum, pro ut recte aperiri poterunt, & cucurbitulae etiam in pedibus ponantur, & locus scarificetur. Utatur lotionib^o pedū somniferis hora decubit^o, ex foliis salicis, lactucae,

vitis, additis capitibus papaveris duobus. Manè atq; vesperi ex aqua scolopédrię bibat chrysolithi atq; Topatii g. vi. In prima cœna sumat jusculum ex nucibus juglantibus, papavere albo, & addet parum nucis conditæ. Nam somnifera plurimùm in his affectionibus psunt. De affectione in dextro hypochondrio melius doceri cupio. Item sintne affectæ māmillæ. An ratione recte utatur, pudoris ne obliviscatur, multum, vel pauca loquatur. Habeat ne suas purgationes, Anne hæmorrhoidus tumor appareat? Hęc omnia, ut de morbo certius statuere possimus, Medicum monere poterunt.

C O N S I L I V M X X V;

In hæmorrhagia narium pro quadam Generosa fæmina.

Sanguinis fluxum consecutum in hoc corpore malum totius corporis habitum, mutationem coloris in virorē, totius corporis extenuationē, & cordis, (ut Medico verbo utar) concussionem ex scripto intelligo. Adesse insuper ventriculi & hepatis dolorem. Ventriculi cessare, expurgata pituita

pituita per vomitum. Hepatis perseverare, & tunc præcipue gravem esse, cùm sanguinis fluor imminet. Insignem etiā tibiarum imbecillitatem consequi. Hæc symptomata Medicus ad facultatem expulsivam, & venarum in toto corpore tenuitatem & raritatem refert. At cùm morbi sint symptomatum causæ, neque vis expulsiva, & raritas venarum rationem morbi habeant, non video cur ad ista duo indicationes curativas referat. Paulò post verò contentivam roborandam dicit, neque tamen, quid sit roborare, videt.

Est autem certè roborare, nihil aliud, quam justam temperiem parti restituere. Hec igitur est vera curandi indicatio, quæ semper ad morbum directa est. Cùm autem temperamentum Generosæ Dominæ in sanitate constitutæ mihi sit ignotum, neque quantitas lapsus perspecta, sanè nō video, quomodo rectè ull' rationalis Medicus absens consilium dare possit. Est in dextro hypochondrio dolor, & habem⁹ axioma hoc: Ubi dolor, ibi morbus. Hepar per se non dolet, quæ igitur pars vicina affecta videndum. Porrò hepar fons est & origo

sanguinis & venarū. Cūm igitur & sanguis
ipse (quod mal^o habitus, & extenuatio de-
clarat) sit frigidior & serosior, cūm venarū
tunicē extenuatæ, & vis retentiva, vel con-
tētiva in iis debilis, hepatis intemperiei, &
sanguinis in primis, subveniendum. Nam
cūm sanguis minus serosus fuerit, illius co-
sistētia venarum tunicas juvabit. At fru-
stra agimus de tunicarum raritate, nisi san-
guis suam commoderationem consequa-
tur. Frustra etiā de illa, nisi hepar ad suam
temperiem reducatur.

Hic igitur consistimus, & quod resolu-
tione methodica ultimum est, primum in
actione Medica esse oportere statuamus.
Qualis verò sit intemperies hepatis, & quæ
causa doloris, utrum ab intemperie illa,
vel alia causa, explicare mihi Medicū, cui
signa multa in oculos incurrūt, velim. Nisi
enim de illa certi aliquid statuamus, vero
scopo, ad quem omnis cogitatio Medica
directa esse debet, destituimur. Fateor
me existimasse, solam copiam sanguinis,
& raritatē venarum narium, causam præ-
bere, ideo sanguinem minuendum esse
recta victus ratione, & scarificatione mo-
nui.

nui. Ad hepar etiam, ne nimio plus sanguinis generaret, respiciendum, & orificia vénarum in naribus firmando putavi. Sed nunc longè aliter rem se habere intelligo. Ut autem sese habeat, divinare ex isto scripto nequeo. Ad medicamenta autē cùm respicio, & planè dissentanea video, sanè quid statuere debeam nō reperio. Ab hiera verò abstinendum judico. Rhabarbarum, & syrum de cichoreo cum Rhabararo probo. Oxymel & omnia acida, propter raritatem venarum nequaquam. Usum facchari rosacei non averfor. Magis tamen conditum florū cichorii, & Diacdoniatum utile futurum puto. De cæteris cōpositionib. nihil prnuncio, neq; quid de localibus, cùm intemperiem perspectā nō habeā, statuam scio. Carnē anguillarū cæcheticę prescribere vix ausim. Panatellā, & reliqua nō impbo, & præcipuā curationis partem in recta victus ratione sitā existimo. Pro potu vinum rubrum Rhenanū, quod à pede anserino nomen habet, commendō, atq; in illius, atq; carniū affatarum & contusarum usu magnā curationis spem pono. Ut ustuletur chalybe ignito yinum,

non supervacaneum tantum; sed noxiū maximē judico. Hæc potui hoc tempore ad scriptum mihi propositum respōdere, quæ ut à benignissimo Deo fortunentur, opto. Certè nō respondissem quicquā, nisi majorem rationē voluntatis Patronorum meorum, quām Medici habuissem. Quid enim non explicata natura ægræ & morbi, ut par est, responderem?

C O N S I L I U M X X V I.

De præservatione à Mola pro Nobili quādam matrona.

Fœminas eas, quæ Molas gerunt, idoneas esse cōceptui & generationi manifestū est. Nam earum uterus generationi operā dare, illud ostendit, quod materiā etiam nō cōvenientem in rudem molā format. Eam verò materiam quidam in utero colligi & formari, & sic vitium in fœmina tantum esse arbitrantur. Verùm cùm satis cōstet, nullā unquam, quæ cum viro rem nō habuit, molā gestasse: pro certo habendum, vitium nō tantum in utero muliebri, & materia, quam suppeditat fœmina; verūmetiā in semine virili esse, atq; illud vel qualitate, vel quantitate, vel consistentia peccare.

Nam

Nam si frigidius est, vel paucum & tenui (ut est eorum, qui nimium s̄epe coēunt, aut inebriantur, vel ex morbo exhausti sunt) ad generationem fœtus parum facit, itaque delatum in uterum, in quo humori crasso & viscido (qui plerunque fœminis, tanquam ad commune excrementorum receptaculum, in uterum deponitur) miscetur, massa quædam vi formatrice efformatur, quæ ex membranis & venulis sanguinēm attrahētibus ita augetur, & in molem attollitur, ut fœmina uterum gerere videatur. Sed non difficile est eam a vero conceptu & fœtu discernere.

Communia quidem utriusque sunt signa; mensium suppressio, intumescentia uteri, nausea, hæc tamen omnia, quām in vera imprægnatione difficiliora. Motus est tremulus, sive à mola, sive ab utero sit movente, & materiam conante expellere, sed nō circa umbilicum, ut ab infante, verū de latere in latus volvitur. Citius etiā ventr̄ intumescit, verū magis latera, & major gravitas, quām in vera imprægnatione. Hæc signa dū adsunt, & præferrim si mammæ sine lacte tument, nequaquam expe-

stantum, dum natura molam ejiciat. Sed Medici opera utendum, & ea, quæ menses provocant, ratione certa, & preparatis viis, maximè tamen ratione virium habita, exhibenda.

Nam etiam si (id quod non rarò evenit, & in hoc corpore evenisse intelligo) concipiatur; tamen mola fœtum enecat & elidit. Multò autem periculosius est molam gestare, quam fœtum. Cum minori enim periculo & laceratione uteri fœtus in lumen editur. Itaque tam vir, quam fœmina cavere debet, ne causam huic malo det. Fœmina quidem, ne per vietus rationem, quæ crudos humores in corpore accumulet, per occursum aëris frigidi, quo uterus offendatur; per cōmotiones magnas corporis repleta cibo, vel animi affectiones vehementes & iracundas, quæ præcipiant humores. Vir verò, ne vel nimium sæpe rem cum cōjuge habeat, vel dum plusculum adbibit coeat.

Si uterus frigidior est, & humoribus abundat, nihil thermis cōvenientius. Verùm ratio universi corporis habēda, & ne crudū corpus lavetur, (id quod plerunq; fit, cùm perpe-

perpetuæ comedationes in Thermis sint)
opera danda. Sulfureas, cum exiccent (id
quod ex ulcerum curatione manifestum)
idoneas esse, rationales Medici negare
non possunt. Et quid in Bajis Neapolita-
nis, & Patavinis evidētius sulfure? quarum
vires in uterinis morbis à tam multis de-
cantatas scimus. Itaque ubicunque ex lu-
bricitate uteri abortiones metuimus, ea-
rum usus conveniens.

Mundari etiam & siccari uterus per fo-
menta, & ea quæ imponuntur debet. Ad
fœtum nihil melius decocto salviae in aqua
& vino, ita ut ante cœnam per infundibu-
lum fumus in uterus ascendet. Pannicu-
li etiam linei molles intingantur in aquam
majoranæ, & membro muliebri imponan-
tur. Inungatur umbilicus oleo balsami In-
dici, si haberi potest. Frequenter in cibo
sumat rasuram eboris, quæ & uterus ro-
borat, & humiditates absunit.

Cum verò se utero ferre sentit, à velie-
mentioribus commotionibus tam animi,
quam corporis sibi temperet. Pulvere no-
stro pro gravidis ante somnū utatur. In o-
vo verò sorbili sumat quotidie manè grana

tria granorum tinctorum, vel de hoc pulv-
vere, quantum acie cultelli capere potest:

¶ Gran.tincto.3j.

Thuris albiss.3*fl.* Misc.

Inūgat lumbos dum fert uterus, hoc un-
guento:

¶ Mastic.5ij.

Rosar.rub.3j.

Ol.rosac.q.*f.* Misc.*f.* unguentum.

Poterit etiā Comitissa uti. Cæterū cùm
partus tempus instat, inungere se isto un-
guēto desinat, ac potius liliorum alborum
oleo cum axūgia gallinacea misto utatur,
eoq; totum ventrem inungat. Hæc, Deo
juvante, spero profutura. Quod si ante
Mensem Maji non fieret grāvida, vellem
post primum somnum eam haustum lactis
caprini sumere, idque per totum mensem
facere.

C O N S I L I U M X X V I I ;

*Præservatio à Podagra pro quadam pri-
maria fæmina:*

Observata victus ratione, spero ex hu-
jus electuarii usu Dominam magnum ad-
jumentū valetudinis melioris habituram,

(si quotidie, & longo tempore eo utatur) minusq; articulorum dolorib. obnoxiam futuram. Nam cùm, ut aliàs ostendi, crassi humores non fluant, nisi serosis in corpore auctis & superabundantibus, certè quotidianus usus electuarii hujus non parum ad absumentum serosos humores faciet, hepatis etiam intemperiem corriget.

Ceterùm cùm articulorum intemperiem perditam esse appareat, vix poterit ea restitui, & malum omnino præcaveri. Ferenda igitur erunt ferenda.

Descriptio electuarii hæc est:

℞ Aristoloch. rotund.

Gentianæ a. ȝ. ȝ.

Diptami cretic.

Agaric. albiss. & recentiss. a. ȝ ij.

Succin. alb. præp. ȝ vi.

Rasuræ eboris ȝ j.

Rasuræ cornu cervi ȝ ij. Mis.

Si ȝ. unam in aqua veronicæ sumere poterit manè in lectulo atque sudare, rectissimū fuerit, sin minus, addito rob. è bacis sambuci f. electuarium, & accipiat cochlear unum. Valentior autem usus hujus medicamenti erit, si singulis septimanis,

aut saltem quatuordecim diebus accipiat
rhabarbari in substantia, aqua cinnamomi
asperfa drachmam unam. Spero hoc con-
silium rectum esse, & ut eventu Deus ap-
probet opto.

C O N S I L I U M X X V I I I ;

In Epilepsia pro quadam Nobili puella:

Non hoc mihi sumo, ut de temperatu-
ra Nobilissimæ puellæ, morbo, ejusq; cau-
sis judicare me rectius posse putem, quām
præstantissimus Medicus, qui diu curatio-
ni interfuit, & præfuit, existimat atque ad
nos perscribit. Ideoq; posito isto puellam
in prima pueritia temperaturæ, quantum
ex omnibus indiciis colligo humidioris &
fortasse frigidioris. (Nam qui sæpe corri-
pitur febribus, causam non ad caliditatem
hepatis, sed ad ~~séνωσιν~~ refero, neque ea du-
plici tertiana post quartanam sub medium
veris laborasse in ista etate, & vietus intem-
perantia, atque ventriculi frigiditate &
humiditate, sed quotidiana, collecta poti-
us videlicet pituita post quartanam & hy-
bernium tempus laborasse puto) tempera-
turæ esse, atque laborare Epilepsia ex con-
sensu

sensu vētriculi, ac fortasse etiam per essentiam, præsertim ita disposito capite, ut Excellentissimus Doctor refert, statuo.

Quod ad prognosticū attinet, cùm iam rursum laboret quartana, & natura caput per loca convenientia vacuet, bonā spem curationis esse arbitror. Cùm autem natura suum officium faciat, nos nostro deesse non oportet. Id verò rectè mea sententia fecerimus, si naturam, quantum in nobis est, adjuverimus, ut caput probè expurgeatur.

Vēlim igitur, siquidem ulcus, quod Excellentissimus Medicus circa aurem esse scribit, diutissimè apertum servetur. Id qua arte faciendum sit, non necesse est artis usu peritum monere Medicum. Illud adhortor, ut eo consolidato vesicatoria, quæ sine dolore possunt excitari, unguentis præsertim, quæ non ignorat Excellentissimus Medicus, excitentur, neque vel periculum, vel sermones astantium vereatur, cùm sciat se actum agere in isto morbo, nisi expurgato cerebro, eo quæ raborato; Atque hauddubiè nisi malum per essentiā in cerebro jam nunc esset, Natura

istam evacuationem secūdum aurem non
fuiſſet molita.

Cerebrum autem roborari posset, vel
unguentis, in quibus eſſet guttula una at-
que altera olei caryophyllorum, vel adhi-
bito cerato ex ladano, thure, succino albo,
corall. rubro, &c. factō. Nam quantum ta-
lia cerata, præſertim pueris convenient,
ſæpe ſum expertus.

Quod ad reliquam curationem attinet,
etſi non lubenter diſcedo à ſententia ex-
cellentissimi Medici, tamen patiatur me
paucis diſſentire. Ventriculum humidum
& frigidū eſſe ipſe fatetur, proindè ea quæ
proponit, videlicet, electuariū lenitivum,
item ſerapium factum ex mercuriali, mal-
va, parietaria, etſi non nihil abſtergāt, pla-
nè propter humiditatē relaxantem pro-
bare nequeo. Extractum potius ex aloë,
rhabarbaro, & agarico, quod in exigua
quantitate cum ſyrupo de ſucco cichorii,
vel endiviæ, vel ſyrupo de cichorio cum
rhabarbaro, quem Nicolaum Epilepticis
præſcripsisse ſcimus, & in febribus etiam
quartanis plurimū prodeſſe ratione &
experiētia edocemur, magis meo judicio
pro-

prodeffet, vel si quidem potionibus utendum esset, facto decocto ex floribus cordalibus, præsertim borraginis cum modico melissæ & seminibus citri atque anisi, iisq; infusa sena, atque diluto cum syrupo de cichorio cum rhabarbaro.

Interdum etiam levibus clysteriis alvus subducenda. Ista & pituitos & crassiores humores, ut spero, rectè purgarent, nec ventriculum offenderent. A Turbith abstinentium puto, nec Diarrhodon exhibendum, cum sciamus Camphoram in imbecillitate ventriculi atq; capitis plurimum obesse, & maximè obesse epilepticis.

Evacuato autem ventriculo, ei subvenientium putarem inunctione ex solo oleo nucis cond. cum corallis probè contusis, ita ut regio ventriculi minimè latè inungatur. Spina etiam dorsi aliquo temporatè calido oleo inungerem. Nam eam pati in isto morbo, & corroborationē plurimum prodeffe ægris scimus. Hepati, si quidem est calidum, de quo ego non pugno, non judicarem profuturum unguentum rotatum Mesue, præsertim cum puella quarta-nam modò laboret. Ac si quid ratione calidi

hepatis adhibendum esset, satis facere posse aquam cichorii, cui parum vini sub acidi inspergatur. Scio commendari ad epileptica ~~nādīmūnā~~ oxymel scilliticum, verum in quartana, à qua nobis spes liberationis ab epilepsia ex autoritate Hippocratis est, scit Excellentissimus Medicus hoc non convenire, & ego admodum dubito, an non scilla, qua vulgo utuntur, sit pancratium, ideoque nunquam lubenter exhibeo.

De pæonia nostra quid sperare debeamus, cum fœminam tantum habeamus, facile est existimare. Usus betonicæ plurimum probatur, præsertim illius succi cum melle vel saccharo. Margaritas, corallo, etiam smaragdum, siquidem orientalem haberent. Nam lapidem de Peru, quo vulgo pro smaragdo utuntur, non probo, atq; nunc in quartana os de corde cervi ad misceri velim, atq; ejusmodi eleuthario quotidie puellam uti. Hæc in summa festinatione distictus variis curis, & curationibus molestis, etiā in quadam valetudinis meæ infirmitate dictavi subito, ne vel cohortatio Excellētissimi Medici, vel preces Magnifici

gnifici Domini apud me parum valuisse
vidarentur. Itaque si in ista properatione
parum politissimo judicio Præstantissimi
Medici satisfecero, vt venia mihi detur
peto. Maluissem plures Medicos ad con-
sili rationes conferendas convocari, sed
quia aliter visum est Magnifico Domino,
pro mea parte quod potui feci, Deum-
que precor, ut is pro sua benignitate deli-
berata nostra gubernet & fortunet.

Post scriptum:

Diligentem quoque in curatione No-
bilissimè puerlè puto victus rationem, sine
qua parum medicamenta prodesse pote-
runt, adhibendam, & operam dandam ut
conveniente in primis utatur potu. Si vel-
let bibere mulsam, coquenda esset cum
foliis betonicæ, atq; uno atq; altero salviæ,
& pauculo zinzibere, admodum scio ejus-
modi potum Epilepticis profuisse. In cibo
semper exhiberé margaritas præparatas.
Darem etiam conservam borraginis, præ-
fertim cum tua Excellentia scribat puel-
lam sudoribus obnoxiam. Febris curatio-
nem, nisi admodum molesta esset, & vires

exhauriret, modò negligerem. Ulcus purum, ut conservaretur mandarem. Excavationem nimia, quæ ad consolidationem faceret, prohiberé. Nec dum flueret materia ex ulcere aliam purgationem capit, molirer, ne materia contra naturę motum ad aliud locum diverteretur. Imò, ut scripsi in consilio, consolidato ulcere omnino uterer vesicatoriis factis in modum unguenti, quæ absque dolore vesicas diu fluentes efficiunt. Quid si quoque vermes adessent, proinde diligenter ad hoc respiendum. Colligo omnia, ut meo officio, & voluntate clarissimi Medici satisfaciām, & natam Generosi viri unicam, quantum in me est, confer-
vem.

Finis Consiliorum.

Sequunt-

Sequuntur

EPISTOLÆ MEDICINALES:

JO.CRATO A KRAFTHEIM,
*&c. Clarissimo viro, D. PETRO MONA-
 VIO, Medico Cesareo, S.D.*

I.

Qui ad reprehendēdum alios
 paratissimi sunt, plerunque in
 se parum animadvertis. Scri-
 psisti omnes omnia bona de
 meo libello Germanico di-
 cere, laudare studium juvandi plurimos;
 deniq, ut recuderetur autor fuisti. Nunc
 posteaquam ego laborem iterum supra vi-
 res sumpsi, & huic alterū quasi, qui me ad
 lāguorem ita dedit, addidi, ut haud sciam
 an unquam vires recuperaturus sim, ne-
 scio quem ordinem, & quæ alia in eo desí-
 derare curiales nostros commemoras. Ni-
 si aulam nossem, & quā multi sint scirem,
 qui verè judicare possint, aut harū rerum,
 de quibus agitur, periti essent, sanè animo
 perturbarer; sed cū quid in hoc Theatro
 fiat, & quam rerum omnium imperitissimi

cupidissimè alios reprehēdant non igno-
rem, non valde commovere. Te verò ista
nunc scribere miror, posteaquam ipse li-
bellum præconio tuo publicè ornasti, &
typis describendum Typographo dedisti.
Ac exploratissimū tibi est, me hūc librum
nunq̄ ita habuisse in manibus, ut quæ ac-
curatè perpolire solemus. Relegi, & cùm
quid mutandum videretur, dictavi. Fateor
propter valetudinis imbecillitatē non po-
tuisse scripta recognoscere; sed sperabam,
si quid fortè emendādum esset, facile hoc
præstare posse, qui curam editionis susci-
perent. Legi tuas correctiones; verūm, ne
quid dissimulem, à mea sententia alienas.
sed de his nunc non agam. Qua de ratione
libelli Germanici, in prima parte præcavē-
di rationem monstro, duplēcēmque po-
no, vnam, quæ ad Magistratum politicum
pertineat, alteram propriam Medici. In iis
quid desiderent nescio. Ad extērnum ut
cupiditati hominum satisfacerem, formu-
las remēdiorum, quibus summi Principes
usi sunt, cum multis communico. In alte-
ra parte cùm de curandi ratione agam,
primum Pestem nomen generis esse, at-
que

que sub eo contineri multos morbos plurimis exitiosos, quod ante annos quadraginta etiam scripsi, statuo. Deinde febres pestilentes duplices esse dico, unas à putredine sola dependentes & à causis internis plerūq; ortas, eas privatas appellavi, quod minimè se efferrent, & contagiosæ essent, licet plurimis exitiosæ. Has febres interdum in uno vel plurimis ad eum putredinis gradum pervenire ostēdo, quem morbida exspiratio consequatur. Itaque tum ex iis non tantum putridæ pestilentes, sed contagiosæ fiunt, id est, quæ morbida exspiratione similem affectum seu febrem pestilentem, bubonibus & carbunculis insignitam in aliis corporibus, quæ inspiratione morbidum illud, ex corporibus infectis exhalans, attrahunt, inducunt. De his febribus pestilentibus me in meo libello agere profiteor. Itaque cùm inspiratione morbida exspirationem seu Diaphorin ex lege contrariorum indicet præcipuam curationem indicativam in eo consistere, ut seminarium hauustum per insensibilem transpirationem vel sudorem, quo omnes ferè contagiosi morbi curantur,

expellatur atq; malignitati seminarii hau-
sti resistatur, & cor contra illius malignita-
tem prēmuniatur. Prīmū medicamenta
simplicia recēseo, deinde pauca remedia,
quibus hic & alibi usus sum, & cum auto-
ritate & experientia moveri homines sci-
am, usu atque experientia comprobata in
medium adfero. De phlebotomia meam
sententiam, recitata prius veterum, expo-
no, ac ipse fateor, cùm initio hanc partem
non attigissem, me in emendanda quoq;
cornicū oculos noluisse configere. Ad-
monitiones autem utiles, etiamsi fortasse
ineptè iterentur, in medium afferō atque
ista sententia concludo. Me non videre
quid in pestilentibus contagiosis, & à se-
minario hausto ortis phlebotomia magno
perè juvare possit, cum malum inspiratio-
ne haustum non exhauiat. Ad extremum
de cura ægrorū non tantū medicamen-
tis, quām victus ratione habenda pauca
subjeci. Cæterū in postrema parte, qua
cum chirurgis prodesse studeam, iterum
de ratione mittendi sanguinem iis eadem
inculco, & quam cautionem adhibere de-
beant, monstro, cùm quām incauti & te-
merarii

merarii sint re ipsa compere rim. Atque ad
extremum de carbunculorū & bubonum
cura, quæ profectò in hoc morbo curatio-
nis caput est, ago. Quæso quid habes quod
in isto ordine reprehendas? Si quedam re-
petita sunt, eaq; magnum usum habent, &
digna quæ ob serventur doctis videantur,
quid obsecro illorum judiciis, qui in ver-
borum mirifico splendore atque apparatu
omnia collocant, injustius? Sed mitto ista.
De tuis dubitationibus magis quomodo
tibi in mentem venire potuerint, quām
ulla de re miror. Primum quæ de homō-
nomia vocabuli contagii & contagionis
ex sententia Erasti scribis, ea nihil ad me
attinent. Tucatur Erastus sua, Ego de vo-
cabulis cum nemine pugnabo. Ré autem
ita se habere statuo: Omnes morbos con-
tagiosos oriri à morbida exspiratione, quā
inquinamentum seu seminarium appella-
mus, eamq; morbidam exspirationem si-
milem affectum & morbū in corporibus,
in primis verò prædispositis, etiā si sympto-
mata omnia non sint similia, inducere. Pu-
tredinem verò hujus morbidæ exspiratio-
nis causam esse, verùm non ex quavis pu-

M

tredine similia *μάσηται* exhalare, aut etiam omnia eodem modo contagiosa esse, multò minus pestilentia. Alia enim sunt quæ scabiem, alia quæ morbum gallicum, alia quæ lepram, phthisin, &c. adferunt. Illa verò quæ febrem pestilentem (non dico putridam pestilentem, sed contagiosam) inducunt, resipere nō putredinem solam, sed sevam corruptionem, quam hausta subitò in corpus humanum, quod continent, inducunt. Itaq; jam non putredinis, ut sit cū ex pestilentibus putridis (aliquando initio pestis) perveniente putredine in corporibus humanis ad istum gradum, ut morbidam exspirationem contagiosam emitant, soboles sunt; verū perniciosissimę corruptionis, omnem putredinis cōditio- nem superātis. Hinc sēpe subitò, etiam sa- nis & mediocriter constitutis corporibus exitium adferunt. Ex nulla autē alia re exi- tiosa ista *μάσηται*, q̄ è corpore humano, dū natura vaporosum illud excremētum expellere potest, prodeunt, atq; ab iis inqui- namentis, quæ vel prēparant ad suscipien- dam pestem, vel seminaria pestis nō con- tagiosæ, verū putridæ febris sunt, discer- nenda.

nenda. Cæterū quod putas, me in errore versari dum contagiosas febres ab inspiratione, qua seminarium attrahitur, quæque carbunculis vel bubonibus insignitæ sunt ortas, ut pleriq; omnes in pestilentiis, quæ in nostris regionibus grassantur, esse apparet, ignotas veteribus statuo, minus accuratè meam sententiam te considerasse, rationes tuæ ostendunt. Fateor cum Galeno non vacare periculo consuetudinem cum putribus morbis laborantibus, sed ubi Galenus scripscerit, ex omni putredine exhalare morbidum, quod contagione similem affectum in corporib. quæ attingit, inducat, imò quod febres pestilentes contagiosas excitet, non reperio. *Miaouātov*, inquies, meminit, & Hippocrates *απέματα λοιμῶδες* nobis ostendit? Quid hæc obsecro probant speciem hanc febrium pestilentiarum contagiosarum, quæ nobis infesta est, & quam omnes Medici refugiunt, veteribus notam fuisse? Multa *μιάουατα* ex variis rebus putridis exhalant, quæ corpora humana ad suscipiendas potius febres pestilentes præparant, quæ pestilentes contagiosas, de quibus nos agimus;

inducunt: sic ~~αεριματη~~ ~~πλοιμος~~ feruntur ex variis locis, & corpora plurima, ut variis febris pestilentibus putridis laborent, idonea reddunt, verum ut subito quasi ad instantem modum laborent, & morbidam expirationem, quæ hausta inspiratione aliis contagiosa & exitiosa sit, & similem planè affectionem aliis corporibus inducat, habeant, non facile mihi persuadebis. Nihil dicam hinc de diversis quasi gradibus malignitatis, deque intentione, & remissione ~~μασονάτων~~, & neque omnibus temporibus, neque omnibus in locis eandem vim atque effectionem habere res ipsa loquitur. Galenum non intelligere de inquinantis, quæ sunt contagionis seminaria, seu contagione contaminant, & subito vim vitalem in omnibus, qui per aerem ea attrahunt, oppugnant, verum vitium aeris ad pestilentem putredinem, corpora praeparantibus, cum ait, aerem continere ~~αεριματη~~ ~~πλοιμος~~, minimè dubito. In Thracia summae saepe sunt pestes, etiam in aliis regionibus orienti magis vicinis, quæ multa millia hominum è medio tollunt, contagiosas tamen febres pestilentes ab inspiratione ortas raro est.

rò est observatum consequi. In castris ad Jaurinum innumerabiles propemodū pestilentibus febribus perierunt, cōtagione illas disseminatas atque ideo exitiosas fuisse, etiam si quotidiè cum ægrotantibus sæpe multumq; fuerim non animadverti. Ac profectò ab istis summis Medicinę autoribus non parum peccatū, si vim illam contagionis febrium pestilentialium verè cognovissent, neque ullum verbum de contagione posteritati scriptum reliquissent. Quod ad extremum addis (tua tibi verba propono) fortasse inter pestem & febrem pestilentialem contagiosam distinguis. Appage te cum illo fortassis, cum apertissimis verbis hoc ubique agam, & an non genus à specie distinguerem? Te verò per quicquid possum oro, ut parcendum seni, & animalia agenti, existimes, & modum in animadvertisendo, atque studium aliorum dicta in bonam partem interpretandi iustitiae convenientem, pulcherrimam virtutem putas. De meis observationib. cùm toties scripserim non esse eas in mea potestate, verùm disjectissimis chartis, & variis libellis inscriptas, quæ in potestate filii

sunt, contineri, quid me toties urges? Ipse bonam earum partem, cum multa tibi recitaverim, in memoria habere deberes, & scis familiaribus meis non solitum reticere. D. Joachimus Camerarius & suas & aliorum se colligere nuper significavit, opto ut possit. Unam insignem & mearum observationum præcipuam tibi modò proponam, quæ in hoc meo morbo (nō quod me summis Imperatoribus & Heroibus æquem) saepe in mentem venit. Verissimum hoc est: Divum Ferdinandum Imperatorem, priusquam lecto decumberet (cui vix tot mensibus, quot ego annis affixus fuit) catarrho & difficultate spirandi laborasse, & macie totius corporis contubuisse, magnum etiam acervum in renibus atque vesica calculorum collegisse. Amorina autem tantalaborasse, ut viribus omnibus exhaustus, inter loquendum placidissimè exspiraret. Quid optimo Imperatori evenit, quod ego non sim passus, & etiam nunc patiar? Ante septennium Cæsare gravissimè ægrotante, cum singulis ferè noctib. tempestate horrida in palatium vocarer, catarrhum cōtraxi gravissimum,

&

& magna difficultate spirādi laborare cœpi. Cupiebā obstare principiis, sed totum triennium aliud ex alio malum. Itaq; meam valetudinem posthabere & negligere coactus sum. Supra vires omnia me fecisse sciunt, qui me in Palatium perduxerunt, & quibus gestandus sæpe fui, cùm per scolas ascendendum esset. Cùm autem à catarrho ventriculus nō admodum afficeretur, vires mediocriter cibo & potu sunt sustentatae. Eo verò die, quo ab aula discessi, cùm amici plura à me postulassent, quām præstare possem, ita me miserè affixi & defatigatus sum, ut simul ac flumen superassem & currum ascēdissem, in profundum somnum inciderem. Post eum diem perpetuò cum adversa valetudine conflictandum fuit. Catarrhus auctus est simul ac domum redii. Persuaserunt autē mihi mei, ut reliquo Rueuriano huc irem. Memineram quæ valetudinis pericula in hoc aëre sustinuisse, morem tamē gessi. Corpus, cùm nondum planè jacerē, macie cōtabescere cœpit. Vetriculus ita difficulter cibū concoxit, ut propriata haber quādam cor mirificè in labore coctiōis afficeret. Medici medyc*to* ex-

istimarunt, verūm nunquam verè fuit, nee
hoc malum his quatuor annis à me disces-
sit. Catarrhus aliàs mitius, aliàs atrocius
mecum egit, & sàpissimè ita spiritum cri-
puit, ut nihil morte sit factū proprius. Post-
eaquam tabida membra, & omni succo
nativo exhausta movere non potui, mihi-
que lecto decumbendum fuit, renes cal-
culos coxisse animadverti. Quos dolores
& cruciatus dum cliderentur, accedente
ingente mole flatuum, qui universum cor-
pus penetrarunt & afflixerunt, senserim,
nequeo narrare, nec si queā propter acer-
bitatem recordationis velim. Certè hac in
parte Divo Ferdinādo Imperatore fui in-
felicior. Nam is magnos atque multos la-
pillos quotidie ferè, sine omni tamen sen-
su doloris egescit, neq; eos cruciatus, quos
ego à flatib. perpessus sum, sensit. Ac haud
dubiè sacratissim⁹ Imperator diutius mor-
bum, quàm ego ferre potuisset, cū & cor-
pore paulò firmiori esset, & minus anno-
sus, nisi infelix illa medicatio, qua catar-
rhus est suppressus, accessisset. Corrichte-
rus enim quotidiè decoctum florum pru-
nellarum sylvestrium dabant, item alia in
rustico

rustico corpore vix ferenda. Cùm autem ex illius libellis appareat, quo artificio suis rebus fucum faciat, quām Medicinæ sit imperitus, miror amicum fratris tui, quem nuper donatum Physico libello mihi quoque conciliavit, illum juventuti commendare, & Turnheuseri conficta de herbis & earum destillationibus mēdacia tanquam rem admirandam pueris proponere. Sed s̄epe fallimur specie recti, & facile admiramur quæ non intelligimus. Ego ut materiam catarrhi in hoc tenuissimo corpore expectorarem, hactenus operam dedi. A medicamentis, præterquam iis, quæ ventriculi vires conservant, planè abstinui. Nunc cùm & pectus & vētriculum parum medicamentis juvari animadvertissem, & nocturnis horis calorem naturalem atq; difficultatem spirādi augeri sentiam, id quod Divo Ferdinando Imperatori evenit, & in primis humanum est, quin sit consecutū non dubito. Paro igitur me ad ea quæ sunt superanda. In Divo Ferdinando Imperatore pulmo ferè totus gypseus erat, meus ut sit nescio. Renes an tantūm calculis abundant haud scio, Calorem illum

præternaturalem & ~~atropotissimam~~ vires valde, ita
ut optimo Cæsari, frangere sentio. Itaq; ne
brevi deficiant vereor. Hoc modo nos do-
minus Cœlestis oberrantes in his terris in-
ter falsa & fugacia ad se revocat, & facit ut
dierum, ut D. Petrus ait, commorationis
nostræ satietas nos capiat. Bene vale. Ura-
tislaviae sub æquinoctium autumnale. An-
no c i c i o x x c v.

II.

*Jo. Crato à Kraftheim, &c. Clariss. Viro
Domino Petro Monavio, &c.*

S. D.

Libellum de Quinta essentia legi non
tam mea causa, cui labor est hæc cognoscere, quām ut tibi gratificarer. Autor est
ingeniosus, sed, ut ego judico, judicio pa-
rum confirmato prædictus. In universali-
bus ostendit se ratione & experimento
non destitui. Ad particularia cūm est ven-
tum friget. Obscero inspicias definitio-
nem, & videbis quām sibi constet. Quid
quæso hoc est, posita definitione in du-
bium vocare, an res de quo quæritur sit?
Destillationis finis est, separare purum ab
impuro

impuro, seu spiritum naturalem, qui præbet vitam rebus, ab elementari materia segregare, quantum segregari potest. Solus enim sine subiecto consistere nequit, sed vel in materia oleagenosa, vel in aqua pura, aut viscida residet. Hunc spiritum ego quintam essentiam duco, & si quid aliud est mihi demonstrari cupio. De nomine nullam litem moveo. Scio spiritum vini, maximè à Chymicis ita appellari, & rectè quidem, cum ex omnibus rebus, quas penetrare potest, quintam eorum essentiam, vel spiritum naturalem ad se pertrahat, & sibi jungat. In iis ubi spiritus naturalis aquo vel oleagenoso humido infidet, destillatione per ascensum, ut vocant, evocatur, dum vapor vel in aquam, vel in oleum resolvitur. Cæterum cum viscido inhæret, quemadmodum in radicibus & seminibus quibusdam, nulla remelius, quam affuso spiritu vini elicetur. Hinc facile illorum error appareret, qui aquas vitae seu Elixias effuso vino, variis speciebus, ut nominamus, additis, imò auro & preciosis gemmis, saepius destillant, & præstantiores aquas se

efficere arbitrantur, cùm solus spiritus vi-
ni, iis quæ penetrare potest, affusus, intra
paucas horas hoc præstet; in multiplici ve-
rò destillatione subtiliores partes exhalé.
Quod autem Carolus de Petra Alba sibi
somniat spiritū vini posse aurum, margari-
tas, vel gemmas penetrare, in eo illum opini-
one falli certum est. At tres novos destil-
lādi modos quos ponit, verè novos, id est,
falsos & confictos ratio atque experientia
monstrat. Primus planè ridiculus est, cùm
ex libra media Cinnamomi spiritū aquo
humori insidentem extrahit, ac deinde ex
fecibus putrefactis, ac planè insipidis, in
quibus vel paucus, vel nullus spiritus re-
mansit, oleum se elicere posse arbitratur.
Alter verò modus, quo rationem confici-
endæ quintæ essentiæ ostendit, erroribus
manifestis plenus est. Nec ipse affirmare
audet, se isto quintā essentiam auri & pre-
ciosorum lapidum atque aromatum un-
quam præparasse, vel sibi panaceam hanc
visam esse. Haud dubiè si ea usus fuisset, ex-
empla eorum, quibus profuisset, non reti-
ceret. Cur autem obsecro sulphur cōmu-
nic miscet spiritui vini, ut aurum attenuet,
vel

vel in cinerem redigat? Scio & fateor spiritum sulphuris aurum penetrare, atque aliquo modo mutare; sed spiritum vini sulphuris spiritum ad se attrahere, nec ab ullo perito chymico didici, multò minus re ipsa comperi. Cōfici flores sulphuris, dum eo spiritus vini affunditur, & crebrò inflammatur atq; deflagrat non ignoro. Sed hāc esse veram præparationem vix puto. Magis eam probo, cum vel oleo tartari, vel cera affusa sulphur præparatur. Sed de his nunc non est propositū scribere. Tertium destillādi modum gummatum, quem tradit, non improbo, cum ratione niunitus videatur, sed rectius dum gummata destillamus, silices addi, reipsa cōperi. De margaritarum dissolutione in communi errore versatur, si acetum destillatum vel alios succos acidos hoc præstare putat, nisi, ut Chymici nominant, radicati sint. De sucis quidem non contendeo. De aceto certum est humorem qui ascendit esse insipidum, & dissolvendis margaritis minimè idoneum. Cæterū partem eam, quæ post destillationem aceti in fundo residet, & acetum radicatum à Chymicis appellatur,

sua acrimonia, & vi corrosiva atque caustica, nō modò margaritas, verūm alia etiam dissolvere, & in cinerē quasi redigere, atq; quemadmodum Chymistę loquūtur, calcinare posse nullum dubium. Hoc autem nō est spiritum margaritarum elicere, sed totam earum substantiam corrumpere.

D. Woyselius senior mihi narravit episcopum Uratislaviensem Casparum Logum Magisterium hoc perlarum, persuasum à fratre, sæpe porrectum à Paracelsista quodam bibisse, atq; demortuo tunicas vētriculi nigras & corruptas apparuisse. Eodem evētu usam esse Marchionis Johānis conjugem, in qua ventriculi tunicæ planè fuerint erosæ. Rarò certè ullum vitrū, in quo asservatur, tam est firmum, quin erodat, & in cinerem convertat. Longū effet omnia ista persequi, quæ imperitissimè de gēmarum atq; auri dissolutione dicuntur. Certè artis imperitia, ac inscitia potius se manifeste prodit, cùm nondum periculum, quod in æreis vasis est, dum ea destillationibus adhibemus, animadvertisit, & præcipuum gradum ignis, maximeq; convenientem, videlicet ex arena, reticet. Possē alia, quasi puerilia

puerilia errata demonstrare, sed sentio me
nimium & legendo & dictando defatiga-
tum esse. Si vera esse scit, quæ de Panacea
affirmat, ægros suos & alios, qui illius ope-
ra utuntur, injuria afficit, dum illis medi-
camentum hoc non præbet. Verùm vides
quàm in refutandis objectionibus sit lan-
guidus, ne dicam ineptus. Novam propo-
sitionem eruditè tractat, & medicum ra-
tionalem ostendit. Quæ verò attexit, ut
consentiant veris ipse viderit. Doctum es-
se juvenem arbitror, & in Philosophia at-
que Chymicis versatum, verùm usū, atque
~~μεταχρήνος~~ non instructum. Nam si esset, ni-
hil firmitatis in autoritate Ferneliana, quæ
refutata est à quodam edito scripto con-
tra librum de abditis rerum causis, multo-
minus incongrua Philosophia Cardani,
esse animadverteret. Quid multa? Magis
memor esset propositi, neque totam Phi-
losophiam compendio proponere, quàm
de Chymia institutā scriptionē hoc modo
abrumpere mallet. Nimis enim pauca de
Chymia scribere, & ubi ad rem ventum es-
set, vela vertere quis nō videt? *Αντλογίας* cre-
bras, distinctiones imperitas, & alia plurima

non libet reprehendere. Non enim me
 misericordia delectat. At hæc tu satis esse, & mi-
 sero atque ægro seni parcendum putabis.
 Valde enim hic labor, quem superioribus
 mēsibus facile ferre potuisse, me ad lani-
 guorem dedit. Bene vale, Uratissaviæ pri-
 die kal. Febr. Anno 1584.

III.

*Jo. Crato à Kraftheim, &c. D. Petro
 Monavio S.D.*

Die Januarii x x v literas ad te misi, quas,
 ut spero, à domino Schonfeldio accipies.
 Bene de te sentit. Itaque illius persuasiōni
 satisfacere studebis. Non quævis Gonor-
 rhœa est Gallica, sed ea quæ cum virium
 languore, urina nigricante, & graveolente
 affligit. Tum insignem ardorem affert, &
 levibus remediis non cedit. Nihil tale in
 nostro ægro animadverti. Deinde dolor
 ulcerosus circa vesperam eum non mole-
 stat. Sed hæc tu considerabis, & me admo-
 nebis. Obscro mi Petre, ut quod sæpe de
 lectione veterum monui, memineris. Le-
 gi non omnino Medicæ artis imperitus
 Galenum prius, quam in Italiam irem. De-
 iis, quæ meam cognitionem effugiebant,

Præce-

Præceptorum sentētias exquisivi. Ex Ita-
lia reversus Periochen atq; alia scripsi, ne-
que tunc veterum scripta deposui. Cūm
in Aulam venissem, & D. Iulium Galenum
in manibus perpetuò habere viderem, at-
que in omnibus colloquiis medicis magis
me autoritate Galeni, quām ratione urge-
ri, ipse totum Galenum iterum totis no-
vem annis ita mihi familiarem reddidi, ut
nulla dies abierit, quin nō aliquot paginas
singulari attentione perlegerem. Ubiq; in
itinerib^o, castris, &c. mecū aliquot libellos
circumtuli. Nec minori studio in Hippo-
crate sum versatus, sed ut verissimè dicam,
quod sentio. Nulla commentaria tam me
in lectione Hippocratis adjuvare potue-
runt, quām ipsa praxis. Hæc cum iis, qui
nunc Hippocratē nobis illustrare student,
desit, quām frigidè s̄epe nos doceant, ani-
madverto. Scribo ista quia te amo, & amo
rem meum perspicere cupio. Nemo mul-
ta simul agit, & eadem rectè. Cura sit ani-
mulæ, cura multorum corporum, quæ tuę
fidei se committunt. Hoc si feceris, non
dubites, quin cætera fit adjecturus Deus.
Non dat omnia omnibus, neq; omnia vult

nos nobis sumere. Feras æquo animo si alii te fortunatores sint. Te oro si tibi de paralyſi post dolorē colicum non satisfeci, ut furiosos spectes, qui in animi perturbatione magnas machinas, & majora viribus movent, cùm ad sanam mentē redierunt, & materia ad exteriora delata, nihil virium habent. Videas in illis *παραμένεις κτεῖοις*, fatis apparebit causam non esse in nervorum principio. Quid igitur communem methodum curandi in paralyſi sequimur? valde sum debilis, & hęc sumpto cibo scripsi, cùm mihi paulò validior viderer. Boni consulas, & uberrimas tuas gratissimas mihi futuras existimabis. Benè vale. xi.
Febr. Anno 1582.

III.

*Jo. Crato à Kraftheim, &c. Domino Petri
Monavio, &c. S. D.*

Duas à te habeo epistolæ, quib. Kal. & v. diem Martii ascripsiſti. Non possum ad omnia rescribere, cùm hæc affixus lector, quo hoc octiduo raro surrexi, dictare cogar. Itaq; brevitatem epistolæ boni conſules. De paralyſi post colicam miror te dubi-

dubitare, cùm *iaonis* sententiæ meæ suffragetur. Dubitationes tuas unica illa sententia Hippocratica diluit: In corpore humano vivo omnia esse transfluxibilia & transspirabilia. Quid ni æquè ab intestinis ac à nervis ipsis in totum corporis habitum hæc materia deferri posset? Non colligitur in musculis, & eorum nervis ac tendinibus, sed magno impetu, sicut alia multa ab interioribus corporibus partibus deferri videmus, hęc quoq; ad exteriora defertur. Neq; materia planè crassa est, sed ichorosa & biliosa, etiam si deinceps in exterioribus refrigeretur, & crassior evadat propter primam originem & caloris defectum. Absurdum quod tibi videtur; expellere intestina excrements, quæ recipere apta & nata sint, mihi nō videtur. Nam cùm in intestinis sit obstructio in colico dolore, & ea materiam per suas vias depellere nequeāt, expellit natura eo, quo maximè potest. Non autem est vera crisis. Multa enim crassa materia remanet, ad quam attenuandam calidis istis oleis utimur. Non nego materiā ex capite & aliis locis affluere, neq; hoc, ut arbitror, scripsi.

De cōsiliis memorem admones, Faciam
quod potero. Sed ita Marasmo conficiar,
ut vix ossibus hæreain, Itaq; raro lecto sur-
go, & cum paululum me commoveo, ita
debilitor, ut concidam. Dn. Callopedius
literas ad me misit, quibus se iter velle in-
gredi ut in aulam veniat, monet. Mœstus
& tristis est parens, ac valetudinis suæ, ut
ego arbitror, nō eam rationē habet, quam
habere debebat. Mea consilia tibi ostendet.
Caput hoc est; ut rectam victus ratio-
nem teneat, & potu illo ex sarsa pariglia,
glycyrrhiza & passulis utatur toto hoc tē-
pore veris. Si deinde serum lactis biberet,
& infuso senæ atq; epithymi cum syrupo
violaceo purgaretur, rectè mea sententia
valetudini cōsuleret. Abundat adustis hu-
moribus, atq; eos victus ratione auget. Me
hæc de valetudine illius ad te scripsisse in-
dicabis. Dictaremplura, nisi hæc ipsa nimis
multa essent, & nihil difficilius facerem.
Te oro ut amicos salutes, & uberrimas li-
teras quotiescumque rectè poteris, ad me
mittas. Benè vale. Uratislaviæ 18. die Mar-
tii, Anno 1582.

V.

*Jo. Crato à Kraftheim, &c. Domino Petro
Monavio, &c. S. D.*

Eas literas, quas discessurus Praga ad me misisti, h̄ic in Rucuriano, quo nudi⁹ quintus veni, accepi. Ubertimas autem Uratislavia ad te dedi, quas spero præfectum e-quis dispositis, tibi redditurum. Cùm verò in tuis desiderium mearum literarum mihi demonstres, gratū est de cessatione me appellari. Quis enim literas ab inimico ex-pectet? Quis de eo quem non amat, & à quo amari desiderat, queritur? Non libet in hanc sententiā scribere plura, cum mea manu nequeam; ea quidem infirma est, ut nihil nisi vacillatibus literulis exarare pos-sim. Ad ġ̄n̄muā tua quod attinet, quid re-spondeam? De exhibito aliquibus deco-cto corticum frangulæ aliquid audivi. Si alyus nigra est, ut Anglici Herbarii existi-mant, nullum dubium, quin vi purgante sit prædita. Quis autem ægroto purgans medicamentum toties velit propinare? Pena quidem & Lobelius in suis stirpium aduersariis frangulam cortice nigro, glau-

cis maculis asperso, libro subtus flavo, vomitum ciere, & aquas secessu deturbare scribunt; & Tragus noster hujus arboris flavum & medium corticem cum aceto tritum & illitum, scabiem intra paucos dies siccare & sanare, tanquam singulare experimentum recitat: Putredini etiam dentium decoctum Corticis in aceto mederi, dolorem mitigare, & dentes purgare afferit. Scio Villebrochiū habere quandam peculiaria, verūm me tuta amplecti nosti. Ad alteram tuam quæstionem, De coctione humorum in chronicis morbis, plurima possem respondere, si vacuo animo essem, scis coctionem naturæ opus esse, non medicamenti. Quæcunq; igitur ad quandam æqualitatem calorem nativum perducunt, ea coctionem haud dubiè adjuvant, cùm concoctio, teste Galeno, nihil aliud sit, quam maturatio quædā humorū, qui præter naturam adsunt. Sed de humorum præparatione quæ serapiis & similibus medicamentis fit, te scribere arbitror. Sunt autē in chronicis morbis duplices humores peccantes: vel adusti, vel crassi & putritosi. In verè adustis rectissima est præpara-

paratio per victus rationē humectantē & frigefaciētem. Èā re in quartanis rectē decoctum raparum, succum pomorū, & decoctum radicum borraginis, vel potius radicum eryngii exhibemus, quæ minus quam borraginis lensoris habet. In Biliosis nihil præstatius decocto radicū cichoriī, etiam obstructionibus ac crudis humoribus præsentibus. Semper enim in chronicis morbis ad obstructions respi-ciendum. Cùm vērō redundantis pituitæ manifestæ sint notæ, quid oxymellite, & præsertim tenui Cinnamomifato, ut italo-quar, quid succo & decocto cardui præstantius? Cæterū cùm de præparatione humorum agitur in chronicis morbis, de iis humoribus, qui ad naturalem statum redire possunt, & quos contrariis alterari oportet, ut crassum & viscosum incide-re, &c. loquimur. Nam qui nullo modo alterari, & ad naturalem stutum redire possunt, iis epicrasí, si purgari nequeant rectē, neque hoc vires concedant, mendendum. Sed noctuas Athenas ferre prohibemur. Habes de his præstantē monitorem Michaëlem Villanovanum, qui p̄stan-

tissimum libellum de coctione humorum
& usu syruporum scripsit, ut de doctrina
excellentissimorum duorum Medicorum
Patavinorum Iohannis Baptistæ Montani,
& Bernhardini Paterni nihil dicam. Pagel-
las nostras Vallesianas accepi, in quibus
quo plura lego, eo magis styli duritiem, &
scholasticam quādam obscuritatē, Theo-
logis quidem propriam, Philosophis bar-
baris nimis usitatā, aversor. Sed cūm lau-
datus sit à nobis, & res bonas esse, quas
proponit, nemini dubium sit, duritatem
orationis in iis, qui nullo usū ea, quę in ani-
mo sunt, explanandi prædicti videntur, fer-
re æquum est. Utinam seculi nostri Docto-
res in iis, quę ad salutē nostram spectant,
cautius loquerentur, nec res divinas, per
quas ad Deum, & veram lucē accedimus,
obscuritati verborum involverent, ac tan-
quam noctuā in tenebris latere perpetuò,
quam lucem aspicere desiderarent. Certè
oblatam lucem illos refugere, & vesperti-
liones eos, qui offusa sempiterna nocte e-
volare, neq; in tenebras profundas scien-
tes atq; volentes sese conjicere student,
nominare eos appetet. Sed mittenda sunt
nomi-

nomina vera vel falsa, & Deus orandus, ut
in veritate atq; luce nos conservet. Benè
vale. E Rucuriano x. Iulii, Anno 1582.

VI.

*Jo. Crato à Kraftheim, &c. Domino Petro
Monavio, &c. S. D.*

Nondum quod sciam Ribischii auriga
advenit, neq; post eas literas, quibus v. De-
cemb. d. adscripseras, ullas à te habui. De
quæstione tua, sitne durantibus doloribus
podagricis atq; affluxu materiæ medica-
mentis purgantibus fluxus diversione in-
hibendus, à multis est disputatum. Ratio-
ni verò atq; experientiæ contrarium, vel
levioribus, velfortioribus medicamentis
hoc tentare videtur. Leviora enim mate-
riam commovent, & magis ad membra
dolentia præcipitant. Fortiora in impuris
corporibus non præparatam materiam,
vim naturæ inferunt. Itaq; rectissimū pu-
to, sumpta indicatione à natura rei, cum
podagra sub genere fluxionum & inflam-
mationum, licet interdum non satis pro-
priè, compræhendatur, enemate alvum, si
astricta sit, movere, & sanguinem è media

cubiti vena, cæteris consentientibus, quæ ad missionem sanguinis requiruntur, mittere. A purgantibus verò medicamentis, nisi hoc evidens ratio suadeat, & necessitas postulet, abstinere. Scio Practicos, & inter hos Bayrum mirificè medicamentum quoddam vehementissimè purgans commendare, ac memini non dissimile Duci Ferrariensi à Medicis præscriptum fuisse, hancque audaciam multos imitatos. Verùm naturæ vim facere, atque præscriptum artis negligere, minimè medicum puto. Historiam, quam tu mihi narras, de quodam cacochymia laborante, qui articuli morbo oppressus, neque purgatus, in Carum inciderit, quo triduum laborans extinctus sit, veram esse credo. Juvari ne purgante medicamento potuerit, vel malum hoc modo averti, causas consideranti non est obscurum. Defluere plerunque materiam morbi articularis à capite consentaneum est, licet magna pars ex reliquo corpore vel deiiciatur, vel ad membra affecta deponatur. In hoc ægro somnolenta affectione cerebri affecto, caput laborasse, & materiam obru-

obrutm fuisse, non est dubium. Per Enemata autem divertendam à capite materiam fuisse, quis non videt? Et quantum putas ea medicamenta, quæ humores omnes simul in toto corpore commovent, è capite elicere posse, præsertim si humor sit crassus, frigidus, & humidus, qualem in Caro esse, quem Latini Veternum, Arabes Subeth appellant, necesse est? Non disputo de vocabulis, sive carum, sive coma appelles. Coma interdum febrem præcedere, sæpe comitari constat. Humorem frigidum & humidum esse, cùm sit somnolenta affectio, nemini ambiguum. Transmissum verò, vel cum impetu ad partem principem delatum, non arbitror, sed potius tenacius in cerebro hæfisse, neq; potuisse à natura ad partes subjectas expurgari puto. Itaque in calefaciendo capite tota curationis ratio, mea quidem sententia, consistebat. Deinde membrorum seu articulorum affectorum frictione, ut materia quasi ad fluxum concitatis doloribus irritata & repulsa à capite discederet. Movēda autem sternutamenta deinceps in ejusmodi affe-

etione, cum anteriorem partem cerebri affectam esse constet, idoneis medicamentis, ac sicut in catalepsi posteriori particulae cerebri calorifica remedia admoveare conveniens, ita in cavo anteriori adhibenda. Habes breviter quæ lecto affixus, & librorum ope destitutus ad tuam quæstionem respondere potui. Benè vale. Uratissavię Kal. Ianuarii, Anno 1583.

VII.

*Jo. Crato à Kraftheim, &c. Domino Petro
Monavio, &c. S. D.*

Nudius quartus ad te scripsi, & literas ad VVolzogium misi. Interea advenit Hobergius qui tuas attulit. Consiliū quod comiti Gurcano dedi in febri Marasmode, nihil de arthritide habet, neque is ea laborat. Ostendere igitur volui, mihi displicere nova ista medicamenta sine iudicio adhiberi. Quid verò de ligno ad D. Iordanū scripsierim addo, sunt autem hæc: De ligno sarsifias significavi id quod est verissimum, me nunquam eo usum esse, nec videre quo pacto inveteratum morbum articularē curare possit. Fateor hujus morbi præ-

bi præcipuum causam esse serosum humorē in corpore supra modum auctum, & certo modo, sive putredine, sive alio corruptum. Is enim facit ut crassi & crudi humores sint fluxibiles, & ad articulos deferantur, in quibus & ipse inflammationis & doloris auctor est. Hujus rei illud indicio nobis esse potest, quod ii, qui frequenter sudant, vel copiosè urinam emittunt, ab hoc morbo tuti sunt. Simul ac verò sudor & urina suppressimuntur, malum præforibus sit. Itaq; si quod de ligno affirmant, potenter urinam educit, ac sudores movet, cōsequens est magnopere juvare posse. Cæterū cùm calor nativus in membris diuturnitate morbi exhaustus est, & natura paulatim, imò continuò ad articulos humores deponere consuevit, sanè nō video quid adjumenti adferre possit. Sed cùm laudatores hujus ligni affirment, cotiones omnes, & maximè ventriculi illius usum jūvare, caput roborare; cùm etiam subducendo ichores, humores crassiores & quasi firmiores reddere necesse sit, non obsto, quin illustris Promarchio eo utatur, modò rectam & exactam viētus ratio-

nem teneat. Vides, mi Monavi, me cum ratione usum ligni non improbare. In sacculis de Arsenico nullam rationem repetio, præter illam, ut cor veneno assuecat; Quam autem hæc infirma & periculosa sit, & hominem rectæ conscientiæ studiosum minimè ea uti deceat, ipse intelligis. Etiā si igitur sexcentos autores, qui idē fecerint commemores, mihi non persuadebis. Ac cùm tantoperè me urgeas, narro tibi verè Creckovium ita ex eo debilitatum, atq; in pectore exulceratum fuissè, ut cum magna indignatione in arce Gravensteinianasacculum abjecerit. Possem alios recēdere. Thessalum illum feliciter usurpassè non credo, etsi minimè dubito, quin ista sit audacia, ut hæc atq; alia exhibeat. Nam ante paucos dies puero cuidam pulverem epilepticum ex cinnabare viva cōfectum dedit. Non velim hoc facere si omnes homines mihi autores essent, cùm robusta etiam corpora vix illius usum ferant, & quam graviter ferant viderim. Sed cùm audacia illi pro scientiâ sit, atque in arte sua medica Fierovantum, nebulonem pessimum, qui Venetiis ejectus est, Magistrum

gistrum habuerit, hæc atque alia ab eo designari minimè novum. Ea vero ut homines celet, nullum sibi in curatione adjunctum esse patitur. Sed de his nimium. Brassicanus male tibi narravit de foliis, si hyoscyami esse dixit. Non satis commemini qualia fuerint. Iberidis vel Tabaci fuisse arbitror. Certum non scio, nec causam, quod in me memoriam tam longam & firmam requirere debeas puto. Dictarem plura si possem. Nam ad meum gravissimum morbum nudiustertius accessit dentis dolor, is deinceps aurem & universum caput occupavit, abscessus in ore est consecutus, Itaque paululum quidem dolor remittit. Sed febris, quæ has fluxiones comitatur, ita me debilitavit, ut ægrè spiritum ducam, immo superiori nocte spiritum Deo meo redditurum existimaverim. Benè vale. Uratislaviæ xv, qui dies Cratoni Martyri in Calendario Romano est dicatus, Febr. Anno 1583.

*Jo. Crato à Kraftheim, &c. Domino Petro
Monavio, &c. S. D.*

Amō tuam inscribendo diligētiam , & tibi gratias ago, cūm frequentes literas ad me mittis. Accepi autē eas quibus tu xxvi. diē Ianuar.v. & vii. Febr. adscripsisti. In iis unum te agere video, ut me ad editionem Consultationum mearum Medicarū excites. Ego verò, mi Monavi , semper fui eo animo, ut prodeesse quām plurimis studearem , ac nunc sum maximè. Sed quid possumus nō valentes? Est VVeindrichius noster eleganti doctrina & ingenio præditus , & posse illum aliquid præstare fateor, sed ubique meum sensum ipsum callere atq; tenere non posse ipse intelligis. Ac si me jacentēm videres, profectò deterreres potius à labore , quām ad eum suscipiendum mihi autor effes. Cūm bellè valere aliis videor , in eas angustias subitò redigor, ut de reddendo sp̄itu Deo meo sit agitandum. Nolo narrare meas miserias, cūm tuis epistolis sit persolvendum. Illud unum affirmo & confirmabo , si vitam & vires

vires Deus suppetet, me officio meo non defuturum. Isto modo jacens & lecto affix^o, ac dum surgere nequeo, vel ad meos libros respicere possum, quid facia vel pollicear non habeo. Ad ^{intra} Medica tua nihil respondeo, satisfaciet tibi, ut spero, exemplum epistolæ ad Joachimum missæ, quod cum his erit. De Pôdagrâ vel articulorum morbo, cùm præcipue indicationes à nocentibus & conferentibus sumantur, & omnibus, qui veram corporis sui curam gerunt, perspectum sit, tum minus à morbo periculum esse, cùm vel sudat, vel multum urinę reddunt. Imminere autem malum quando serofa excrementa non expurgantur; satis evidens & magnum est indicium, serosorum humorum retētionem vel copiam in corpore auctam, hujus morbi præcipuam causam esse, & totam præcautionis rationem in eo cōsistere. Ne vel in corpore accumulentur, vel tempestivè expurgentur. Deinde ut crassi quoque & crudi humores non sint nimii, atq; membra exteriora vel debilitetur, vel calor naturalis in illis deficiat. Id si cavebimus; crassi humores absq; tenuioribus non fluent;

O

neque membra laborantia eos suscipient, nisi longo morbo debilitata paulatim natura in ea deponat. Malo autem jam confirmato, præsertim in intemperantioribus, labor Medicus est irritus; sicut & in illis quæ nimio usu venereorum, vel cōmotionibus animi humores præcipitant, & calorē nativum exhauriunt, vel vino feso obruunt. Actu egrotates in tanta diversitate humorum curare difficile est, præsertim cum vix ullus Medicus tam sit perspicax, ut tempora vera fluxionū possit discernere. Sed de his scripsi nuper, & profectò non sine magno labore ista dicto. Tibi tamen deesse, quando tanti facis nugas nostras, non debeo. Scribo nunc admonitiones quasdam de valetudine N.N. tuenda & rectè curanda. Multa enim observavi, quæ fortasse aliorum cognitionem effugerunt. Alias etiam vias veræ curationis peruestigavi, & remedia tutiora & facilitiora reperi. Illud de Antimonio in Hydropicis, non ex animi mei sententia, verum aliorum scripsi semel hydroperico persuasus dedi. Nihil profuit. Ne hocuerim Deo gratias ago. Medicamentum è raparum succo atque camphora fa-

teor

tēor me præscripsisse multis. Sine ulla noxa datur; sed raro juvat. Multo plus trubuo floribus persicis, qui siccati etiam & infusi mira facilitate humorem aqueum ex universo corpore per ventrem edificant, neque ullam noxam inferunt. Ad exiccandum autem, si quid intra abdominis musculos detinetur, Emplastrum è caprarum stercore cum cimino & acetato plurimum valet. De Thermis ac potius aquis frigidis Mandersdorffensibus cum multis erras. Perdunt articulorum doloribus oppressos, neque quicquam aliud, quam nitrum continent, parumque ab omnibus fontanis aquæ Viennæ, quæ omnes nitrosæ sunt, differunt. Sed apud multos opinio vim veritati affert. Nunquam his quatuor mensibus gravius & periculosius laboravi, quam superioribus proximis diebus. H̄eri, cum inedia confectus, multas libras pituitæ toto morbi tempore ejecerim, vino temperatissime sim usus, ac aliquot diebus ab eo plane abstinuerim, carnes modicè attigerim, ac ne unciam quidem toto hoc mense comederim, tamen, ut dixi, he-

ri, materia delata est ad dextrum pedem, & inflammatio consecuta, quæ tantos dolores fecit, ut etiam somnum mihi ademerit. Profectò hoc in corpore macie contabescente fieri, mōstri simile est. Paulatim cor quietius est, & παλμός minus gravis. Quid de me futurum sit, Deus novit, ad quem omnia refero, & illius benignitati me committo & commendo. De Thracia adeunda, miror tibi ea quæ scribis in mentem venire. Quid à barbaris præter barbariem referimus? Et quæ stultitia est, tot periculis se objicere, ut ea videas quorum recordatio per omnem etatem doloris sensum adferat? Mirificè ineptos esse, qui ex ejusmodi rebus laudem quærunt, vel scientiam, & magnarum rerum usum se consequi arbitrantur, existimo. De Vallesio certè comperi esse in eo aliquot pagellas typis descriptas. Itaque cùm Proœmium mutare non possem, epistolam tuo nomini inscriptam, qua meam vehementiam corrigo, addidi. Medici Posnanienses me de valetudine Comitis Andreæ Gurcani consuluerunt. Nō cessit feliciter usus illi ligni Sarsifias. Iterum Indica quædam

dam edita sunt Venetiis, ut ex insanis stulti fiant. Sapientiae tamē de Cotoneo ligno non accedo, & in decocto plura sunt insigni vi prædita, ut Zedoaria radix, Guajacū, &c. quæ longè vires Cotonei superant. sed de his scripsi nuper. Non video quid præterea tuis literis respondendum sit, & dīctando sum defatigatus. Bene vale, & amicos saluta. Bratislavie xii Feb. Anno 1583.

IX.

*Exemplum Epistole missæ ad D. Joachimum
Camerarium Physicum Norinber-
gensem.*

S. De Bolo tecum sentio, in penuria Armenæ rectè nos orientali uti Galeni, colore est pallido, & orientalis cùm lavatur pallescit. Lotione tamen nihil decedere illi satis appareat, cum aqua, quando subtiliores partes, quæ aquę commiscentur, subsident, sit pura, & nullo sapore prædita. Nec puto lotionem aliud præstare, quām ut impura & arenosa separentur à partibus tenuioribus. Alia est ratio cùm aloës vel metalla lavantur. Certè ea quæ Constantinoli mihi missa est, etiam si nō sit lota,

instar butyri tamē in ore liquefcit. E Capadocia importari Constantinopolin certum est. Itaque non pugnabo si Rubrica synopica appelletur, & si recte memini Plinius hujus tres species ponit. Terra sigillata, quæ è Lemno affertur, semper est pallida, & Creta Anatolica vulgo dicitur. Galenus suum sigillum Leminium colore rubescente describit. Itaque impostores sæpe bolum admiscent, sicut Rubricæ synopicæ pinguedinem, quam vetustas prodit. Cū istæ terræ mihi suspectæ sunt, solo cornu cervi utor. Meas Theses nondum Latinas feci. Nec Teutonicas, nisi prius quæ volo corrigam, in meo nomine apparere volo. Qua sim sententia quin publicè scribas non obsto. I. Me pestem non ponere sub febre tanquam genere, etiam si per paucos ac nullos potius in peste absque febri mori putem. Seminarium inspiratio-ne haustum ~~καθ' οὐλες τὴν σοιαν~~ sicut cætera venena calida & putrefacientia universi corporis vires, maximè cordis perniciose afficit. Aëris verò intemperies atque impuritas, sicut & cibi corrupti ad dispositio-nem

nem saltem corporum faciunt; vel pestem
(nisi seminaria vel ex corporibus infectis
exhalent, & inspirationi noxia sint, vel a-
liunde importantur) privatam, aut febrem
pestilentem inferunt. II. Pestem enim
aliam privatam, aliam publicam esse sta-
tuo. Privatam, vel à pravis humoribus ob-
victus pravitatem ortam, vel ex aëris con-
stitutione mala, inde enim oriuntur fe-
bres pestilentes variæ, quæ non habent
morbidam exspirationem, & paucis per-
niciosæ, neque contagiosæ sunt, nisi val-
dè prædispositis. Publicam autem pe-
stem non nisi ab aëre continente lethali-
lia *μάσημα*, à morbida exspiratione cor-
porum humanorum, in quibus putredo
ad istum gradum devenit, ut *νοσηρὸν διπλόν*
contagiosam exhalent, tantum provenire
statuo. Sæpe verò in privata peste accide-
re, ut ad hunc gradum putredo perveniat,
ut corpora *μάσημα* exhalent. Sæpe etiam
aliis ex locis ubi publica pestis grassatur
deferti, atque uno corpore infecto pluri-
ma deinceps infici, & ex ægrotantium at-
que morientium multitudine *μάσημα* exi-
talia, atq; seminaria pestis in aëre augeri.

non enim *πνεύματι* aliàs incerto loco orta,
exitiosa multis est, aliàs extrinsecus advenit,
atque ita non uni urbi, sed toti regioni
pestis infesta est. III. Ut verò gradus iste
putredinis ignotus est Medicis; ita & verū
remedium. Medicos autem cōjectura ra-
tionali in ægris aliàs accedere propius ad
cognitionem, & felicius in curatione pro-
cedere, cum ea, quæ putredini resistunt,
adhibent, in aliis minus, verisimile est. Ra-
tio tamē hoc dictat, cum inspiratione ma-
lum sit haustum, solam Diaphoresin indi-
cari, & veram curationem esse; ita tamen
cum seminarium inspiratione haustū spi-
ritus nō aliter ac venenum calidum & pu-
trefaciens afficiat; ut ea quæ ad Diaphore-
sin faciant, simul ea quæ cor adversus vim
venenatam muniāt, & putredini in primis
adversentur, conjuncta habeāt. IIII. An-
tidotum veram pestilentis veneni in divi-
na manu esse, neq; Medicis exploratam.
Videre nos camphoræ, ambræ non cine-
ritiæ, sed chryseæ, quæ ut sulphur ardet, ef-
fectiones, eas tamen non perpetuas esse.
Herbas quasdam vulgares, ut Tanacetum,
quam Athanasiam appellat, calendulam,
atque

atque alias æquè, imò multò magis si tempestivè exhibeātur, prodeſſe. Occaſiones atq; eventus providentiam diuinam moderari. Nunquam tamē uni remedio ſemel exhibito ſecurum eſſe debere, ſed quamdiu malum eſt præſens, cordi omnibus modis auxilium ferre. V. Cùm verò natura affecto crasso humore à ſeminario, ~~πόσιμα~~ efficit, & bubo conſequitur, vel ex aduſto & tenui atq; acri humore ~~αἴθεα-~~, vel ~~ἐγκίμια & σίμια~~ exitialia apparent, omnis in hoc Medico labor eſſe debet, ut naturam per loca convenientia ſe exonerantem adjuvet. Bene vale.

X.

*Jo. Crato à Kraftheim, &c. D. Petro
Monavio, &c. S. D.*

Eas tuas literas quibus Scutellarii addideras accepi. Nec habeo quid iis reſcribā. Cùm autem Scutellarii ſit perſolvendum, nolui ſine meis ad te pervenire, & ne quid me tibi denegare, & invidentia mea occultare, ut falsiſſimè accuſor, arbitreris, per vulgata etiam recitabo. Nō pauci Me- dici Lignum ſanctum, quod & Palum ſan-

ctum appellant, atq; Guajacum, ejusdem esse arboris arbitrati sunt, verū Consalus Ferrandus Hispanus, qui ipse in Indiis fuit, diversa esse ostendit. In Ferneliani libelli Consilio xii, quod Dn. du Perat secundo dedit, bis, ni fallor, Palmæ sanctæ meminit. Illud verò consilium cùm sit scriptum Anno 50, nec tum temporis Ligni sancti frequens usus fuerit, Guajaci verò maximus, planè existimo Fernelium lignum Guajacū & sanctum pro eodem habere. Possum in hoc errare. Certū est autem, posteaquam multis persuasum fuit, medullā illam nigrā Guajaci plurimum gallicis prōdēsse, raro deinceps lignū sanctum cum Guajaco allatū. Cæterū quod in ea descriptione potus, quæ folio vigeſimo primo est, Palmam sanctam, & Guajacum ponit, Typographi errore factum putō, qui ſepe pro cinnamomo Guajacum in isto libello ſcripsit. Quid enim tres drachmæ Guajaci ad libras aquæ ſex facerent? Sed ut ut sit, Guajacum à Ligno sancto differre, & sanctum Lignum magis ventriculum roborare, atque in articularibus morbis, & omnibus, quæ à fluctu-

xionibus oriuntur, prodesse, cùm Guajacum tantùm in lue venerea adjuvet; exercitatis Medicis re perspectum est. Repetiri verò etiam nunc inter Guajacum lignum sanctum animadverti, & ipse sati magnum palum Ligni sancti ante annos quindecim Venetia accepi. Pondere, gravitate, & duritie parum differunt. Sed sanctum nigrum medullam non habet, & cortices cineritii sunt. Affertur ex Insula sancti Johannis, quemadmodum Consalvus ostendit, & Indos in lue Venerea exiguis ramulis descisis uti, atq; singulari studio aërem & mulierum consuetudinem fugere affirmat. Magis profuisse ad multos alias morbos q̄ Guajacum idem Autor affirmat, & inediam atq; copiosum potum atq; abstinentiam ab acidarum usu in primis præcipit. Habet quæ de palma sancta scire voluisti. Ulmi decoctum nunquam propinavi. Corticum verò cum aqua salis decoctum dolentibus articulis felici successu sæpe adhibui, & contra deflumum capillorum in lixivio sum usus. Camutius post redditum suum ex Hispania,

cum febre correptus esset, sibi ipsi sexagenario xxv uncias sanguinis detrahere est ausus. Nugatorem esse eum, qui de terra sigillata Anwaldensi scripsit, ex literis Joachimi, & aliorum intellexi. Verum bolum & veram terram sigillatam Turcas nobis invidere satis est perspectum. Bene vale. Uratislaviæ xxvii Maji. Anno 1583.

X I.

*Jo. Crato à Kraftheim, &c. D. Petro
Monavio, &c. S. D.*

Crede mihi, mi Monavi, ipso morbo gravius esse hoc quod de fluxis & caducis bonis meo afflictissimo isto tempore cogitare cogor. Itaque & te saepe oravi, ne quid de negotio meo disputares, vel ad me scriberes amplius. Verum tu tibi temperare non potes. sed mitto ista. De cura febrium pestilentium significavi antea me sententiam meam Magnifico do. Schonfeldio scripto exposuisse. Non video cur eam mutem. Saepe dedi pulverem lapidis Bezoar. Nihil profuit. Diasulphure utatur qui volet. Sulphur nostrum quomodo cunque præparetur, etiamsi sudores pro pellat

pellat & siccet valde, maximè humanis corporibus est noxium. Imò vina fumque saltem imbuta non sine periculo bibimus. Decoctum lentium laudo, sed tamen non est similis ratio in exanthematis & petechiis utendi. Unguentum ex Nitro Aëtii in Italia miro successu semper est adhibitum. Post nonum verò diem elicere velle maculas inane est. Scarificatiōes & omnes cutis exulcerationes plurimum laudo. Vīrium conservatio præcipuè nobis debet esse curæ. Crede mihi potus continuus in quo sit cornu cerui plus auxilii, quām omnia alia medicamenta affert. Terræ Lemniæ, seminib. napi & acetosæ plurimum tribuo. Vinum fugiendum. A capite materia omnibus modis divertenda. Arnoldum multis annis non inspexi, sed ni fallor ille pilulas juventutis Aloëm rosatam vocat. Locum certè non possum significare, cùm meos libros attingere nequeam. Tuas medicationes à Deo fortunari opto. Pestilentes fluxiones alvi frequentes in Austria animadvertis. Ad præcautionem conservam rosarum veterem cum Mithridato dedi. In curatione ad præpotētem cau-

sam respexi, statim papyrum Mithridatō illitum vel umbilico, vel ventriculo apposui. Clysterem ex decocto hordei in jure carnis vervecinę cum radicibus Tormentillae & vitello ovi semicocto per clysterem injeci. Pueris pulverem è Zedoaria, margaritis, & terra sigillata dedi, addidi interdum Tragacantham. Multos beneficio Dei servavi. Ab istis magnis compositionibus Enematum, lacte ustulato, & cæteris nugis abstinui. Facile læduntur intestina, & ne lædantur adhibitis clysteriis cautio est. De turpetho minerali scripsi publicè Gallicos q̄ hermetica cura semel usi sunt, eo juvari interdum non diffiteor. Audaciam nostri N.N. & N.N. me nunquam probasse, non obscurè illis ostendi. Nescio an ipsi eo sint usi, sed ut perierit uterq; non ignotum est. Alios etiam commemorare possem, nisi animus meminisse abhorreret. Nuncius de domini Trautsonii morbo valde me sollicitat. Error est putare semina carminantia, ut vocamus, decocta, dolores à flatibus sedare. De vino & usu myrrhę puto me monuisse, & si quid volet plenius scribam. Melamocephalus
abeat

abeat & valeat cum suo Alchermes. Suas
ne utantur lapide Lazuli & serico tincto
granis chermes, veraisque orationes ostendit.
Si sequentur consilium meum haud
dubiè gratiam & salutarē compositionem
præparabunt. Vellem Claudium & Au-
berium Fallopii opera ad me mittere, cùm
Aubrii rogatu præfationem scripserim æ-
gerrimè valens, ac potius uno die dictave-
verim. Adegit me maledicentia N.N. ut
quædam scriberem, quæ scripta nolim. E-
go periochen methodicam, ut pro D. Ju-
lio Argenterio responderem, foras dedi.
Mea causa cùm nihil amici faciant, dum
vivo mihi ipsi deesse non debeo. Mallei
autem alios pro me scribere & loqui. Sed
dormit vetus gratia. Bete vale. Ura-
tisлавиæ 24 Octobr. An-

no 1584.

BENEVOLO LECTORI S.

Cum in præcedentibus consiliis aliquoties cauteriorum, & Thermarū Silesiacarum mentio facta sit, intermittere non possum; quin de horum auxiliorum usu, duorum præstantissimorum Medicorum sententiam, brevibus scriptis comprehensam, in fine horum consiliorum adiungam. Ut itaq; hæc, qualiacunq; sint, boni consulas, meumque studium in publicandis scriptis utilibus æquo & candido animo accipias, oro. Vale.

CLARISS. VIRI DOMINI
D. HIERONYMI CAPIVACCII,
Professoris Patavini;

DE RECTA CAUTERIORUM
administratione:

In cauterio administrando quatuor sunt consideranda; Tempus nempe, quo excitari debet, Quætitas discreta, Locus ubi excitandum est, postremo loco, mōdus quo tractari oportet. Quib. cognitis nihil aliud in ad-

in administratione cauteriorum desiderare oportet. Quare ne tempus in his, quæ inutilia sunt, conteramus, dicendum est, cauteria nō alia ratione, à viris gravissimis fuisse excogitata, quam ut essent instrumenta, quibus materia peccans, quæ paucatim in corpore generatur & colligitur, per loca minus incommoda evacuaretur, ne vel sui copia, vel prava qualitate partes corporis, vel principes, vel ad usum virtutæ necessarias perturbaret. Quæ quidē evacuatio tribus modis fieri potest, vel per revulsionem, vel per derivationem, vel per interceptionem.

Per revulsionem quidem, ut si materia, quæ à jecore ad caput defertur, per cauterium in crure dextro excitatum revelendo foras educatur, vel si materia falsa, quæ in catarrho ad pectus destillat, per cauterium in sutura coronali affixum, revellendo evacuetur.

Per derivationē verò, ut si materia, quæ à capite ad pectus destillat, per cauterium in brachio excitatum ad partem ignobilēm derivetur.

Per interceptionem denique, ut si ma-

teria , quæ à capite per spinalem medullam ad nervos ossis sacri , vel alterius partis defluit , per cauterium in occipitio affixum intercipiendo evacuetur .

Cauterium igitur cùm sit materia seu instrumentum auxilii quocunque modo evacuantis materiam excrementitiā , quæ in corpore generatur , & congeritur , cuius generis quoq; potest esse setaceum , possunt esse vesicatoria , masticatoria , & errhīna , necessariò sit , ut ab eodem , à quo indicatur auxilium , indicetur etiam recta administratio materiæ ejusdē auxilii , diversa tamen ratione nihil prohibet ab uno plura indicari . Quare si materiam sui copia seu qualitate peccantem spectemus , indicabit auxilium evacuans , quod multiplex esse potest , pro ut multipliciter materia peccat . Verū nulla est materia , nullū est instrumentū , quod multiplici generi evacuantium magis & tutius accommodari possit , quàm cauterium . Nam sive peccet copia , sive motu , sive quiete , ad ipsam evanquandā cauteriū erit maximè opportunū .

Illud igitur quod indicatur à materia , hoc vel illo modo peccante , dicitur Quid agen-

agendum, quod nonnulli viri in hoc gymnasio almo Patavino celeberrimi, aū si sunt afferere, adeò esse manifestū, & unicuiq; notum, ut nulla penitus indigeat cōsultatione, imò fœminis, & barbitonfōribus esse notū. Quin imò hoc dicerent Galenū & Hippocratem, & omnes Dogmaticos tanquam ineptos, & in rēbus inutilibus versantes redarguerūt, cùm Galenus, & cum eo omnes gravissimi Medici, & in arte curandi, & in arte de tuenda valetudine nihil aliud cōtendant, quām ut doceāt inventionem auxiliorum, & rectam agendorum, vel, ut verius dicam, materiarum administrationem, nec aliud quicquam docere debebant, aut poterant, cùm tota curandi & tuendæ valetudinis ratio his duobus tantū perficiatur & absolvatur.

Cùm igitur materia vitiosa sit illud quod primò, & per se indicat auxiliū hoc vel illo modo evacuās, ratio dīctare videtur, ut ab his, q̄ materiæ accidūt, & ipsam comitātur, sumatur materiæ administrādæ indicatio, quēadmodū & ipse Galen⁹ testatur. Accidit autē materiæ, ut agat in corp⁹ humanū, ut à medicamentis pati possit, neq; agere,

neque pati posset, nisi esset in corpore & existeret. Omne autem quod existit, alii cubi existit. Hæc autem sunt, quæ materiæ & unicuiq; indicanti seu scopo, seu proposito contingere possunt. Præter hæc non video, quid ipsi perpetuò accidere possit. Hæc itaq; totam administrationis materiæ rationem præscribunt.

Quare si materiam vitiosam consideremus, ut hoc tempore, & in præsenti generatur, præsentia hæc indicabit, hoc tempore cauterium esse inurendum, modò nihil adsit quod prohibeat & impedit. Verùm quia repleto corpore periculum esset ne humores in toto peccantes merito doloris eò confluenterent, & proinde inflammatio excitaretur, propterea ad cauteria non est accedendum, nisi corpus fuerit optimè præparatum. Verùm non sat erit novisse, quo tempore inurenda sint cauteria, sed quām diu aperta sint detinēda scire oportet. Hoc autem docebit præsentia humoris peccantis. Nam quandiu adest peccans, perdurabitq; illius generatio, tam diu cauterium reclusum erit servandum, & hoc de tempore.

Post-

Postquam cognoverimus, quo tempore cauterium sit inurendum, videndū erit quo loco. Hoc autem nobis significabit existentia materiae peccantis. Nam si materia generabitur in jecore & petat caput, ideo ut fiat revulsio ad partem ignobiliorēm in dextro crure cauterium excitabitur. Quod si crura peteret, non in cruribus, sed in brachio dextro erit affigendū. An verò in parte interiori cruris, an in parte exteriori ratio venarū ejus loci, in quo generatur materia, ad locum, in quo excitatur cauterium est servanda, quemadmodū & in missione sanguinis servari debet, ut docuit Galenus in libro de natura hominis.

At verò si in parte sinistra generaretur, & sursum in caput raperetur, in crure sinistro, sin ad inferiora in brachio sinistro excitabitur. Quod si non moveretur, & generaretur in ventre inferiore, locus esset in cruribus, sin à medio ventre, in brachiis, modò nihil prohibeat. Quod si in capite materia generaretur, neq; moveretur in occipitio & in brachiis collocari possent, in ea potissimum parte, in qua mate-

ria resideret, tunc enim erit materia remediī derivantis.

At si moveretur ad pulmones, & in occipitio, & in sutura coronali probè fieri possent. Tunc enim essent instrumenta auxilii revellentis, & derivantis materiam quiescentem. Si tandem materia in capite generaretur, & ad spinalē medullā & os sacrum, ad lumbos confluenteret, tunc cauterium in principio spinalis medullæ erit admovendum. Vim enim habebit materia auxilii intercipientis. Et hæc de loco in genere.

Sed unum est animadvertisendum, in quo plerique decipiuntur; Cauterium nunquam esse excitandum in loco affecto, nisi dum materiam ibi impactam evacuare volumus, præmissa tamen totius corporis evacuatione seu purgatione, post cujus materiae evacuationem occludendum erit, & si opus fuerit alibi erit affigendum. Nam si per locum affectum materiam fluentem evacuare volueris, periculum est ne affluxu materiae, & partis imbecillitate, inflammatio aliqua suboriantur, quæ tādem in gangrenam degeneret.

Quod

Quod si quæras locum magis particularem, illud unum est præcipue animadvertisendum; In capite fieri posse in futura coronali, in occipitio, in palpebris, in superciliis, & omnibus locis, in quibus pilorum generationem prohibere statuimus, nec nō in angulis interioribus oculorum, in naso, ut polypus absumatur, & aliis pluribus in locis, in quibus ignis administratio opportuna videbitur.

Verūm ut futura coronalis observetur, patientem jubere oportet, ut masticet. Nam quandoque in futura coronali cutis capitis moveri conspicitur. Quod si cutis non movebitur, neq; ullum ipsius futuræ vestigium apparebit, tum radix palmæ ejusdem patientis fac ut summo naso admoveatur, & sursum extendatur. Nam ubi digitus medius attigerit, ibi futuram coronalem adesse existimandum erit.

Non solùm autem in capite: verum etiam in brachiis, thorace, & aliis partibus excitari solent, ut in ore ventriculi, in regione hepatis & splenis, infra umbilicum, in inguine, in pube, in scroto, & præser-tim genus illud, quod setaceū appellatur,

sed potissimum in crure, in loco tribus aut
quatuor digitis à genu distâte, ubi muscu-
li manifesto interstitio distinguuntur. Té-
dines enim seu chordæ propè articulos
carne sunt denudatæ. Et hæc de loco di-
cta sunt.

An verò unum, vel plura sunt affigenda
cauteria, id nobis præscribet materia, quæ
in uno, vel pluribus locis generatur, vel ad
diversa loca movetur. Nā pro ut actio ma-
teriæ peccatis fuerit summa & vehemens,
plura indicabit affigenda cauteria. Quod
si remissa fuerit, unum cauteriū sufficiet.
Actioñem autem vehementem vel remis-
sam nobis significat, & materia copiosa,
quæ pluribus in locis generatur, & quæ ad
diversa loca movetur. Et hæc de quantita-
te cauteriorum.

Postremo loco, cùm cognoverimus
quando sit agendum, ubi agendum, &
quantum agendum, reliquum erit ut co-
gnoscamus modum agendi, qui modus a-
gendi sumitur à materia, pro ut facile, vel
difficulter cedit & patitur. Quare si ma-
teria fuerit copiosa, ut in corpore obeso,
vel plurimis excremētis redundantē, cùm
fini-

si nihil aderit quod prohibeat, foramen amplum & profundum erit efficiendum. Prohibebit autem virtus, quæ cum in spiritibus, humoribus, & partibus solidis considerari possit, hoc loco virtus, quæ ad carnosum genus pertinet, est illa quæ amplū aut profundum foramen prohibet efficiendum. Sunt enim quedam partes membranæ & cutaneæ, quæ profundum cauterium sustinere nequeunt. In his itaque unctione, quæ excitatur, exustiones potius, quam fonticuli sunt appellandi. Nam quæ propriè cauteria dici solent, in occipitio, in sutura coronali, in brachiis & cruribus inuri consueverunt.

Sed in his quoque partibus quandoq; evenire solet, ut virtutis imbecillitate fonticuli excitari non possint. Fit enim interdum ut patiens adeò contabescat, & sit emaciatus, ut solam carnem, ossa, nervos & pellem præ se ferre videatur. Virtus itaq; illa, quæ ad solidas partes, ad carnosum genus pertinet, non modò nō permittit amplum foramen; verum neq; ullum erit efficiendum cauterium. Quod si nihil prohibeat, & passio materiæ sit summa, id est,

si difficulter egrediatur , latum potius,
quām angustum erit moliendum. Quod
si passio materiae non fuerit summa , imo
facilis sit exitus , minus amplum erit effi-
ciendum.

Ad foramen amplum, vel angustum fieri potest, vel radice aristolochiae seu asphodelorum summè excalfacta , aut cum sulphure incenso, aut ligno, aut metallo, aut caustico. Ignis autem materia omnibus clementior est aurum, deinde argentum, postremum locum obtinet ferrum & æs. Cæsim, punctim , imprimi possunt, adiunguntur, ut diximus, longius & latius , & in circulum circumferuntur, quæ omnia, ut dixi, passio materiae evacuandæ , vel suapte natura, vel ratione loci nobis præscribit, & ut hoc potius, quām illo modo fiat, hortatur.

Quod si caustico sunt in primenda , locum materiae circumscribere oportet nucali testa, vel re alia simili, quæ suis marginibus constans pateat in medio. Ne vero ignis seu caustici violentia justo latius serpat ac diffundatur, partes proximæ cerato rosacco, vel lunguēto ex cerussa, vel linimēto sim-

to simplici, vel cerato ex palmis, vel alio genere eorum, quæ ἀποφλεγματικæ vocant, sunt muniendæ.

Tam diu autē causticum immorari debet, quām diu pars aut locus ipse nigrescat, id quod pro caustici vehementia, & natura partis dimetiri debemus, siquidem vehementi caustico in parte molliori citius sit impressio, quām in parte dura, quare id totum judicio Artificis est permittendum.

Crusta verò sive ἄρα non est statim detrahenda, sed maturare priùs oportet, ac veluti maturitate sua excidere, alioquin vis adferri solet, unde dolor, fluxio, & phlegmone, una cum febri, quandoque excitatur. Tempestivè deduci potest, si instar crucis incidatur, deinde vel solo butyro, vel cum adipe suilla sine sale admixto foliis brassicæ excepto foveatur.

Crusta detracta fiat pilula ex medulla sambuci, quæ cùm sit mollis, blāda, & quo-vis modo tractari posset, si comprimatur, atque in foramine cōpressa collocetur, ac ita statuatur, ut loco dimoveri non possit, foliis verò brassicæ butyro illitis foveatur.

chartaq; lusoria vnâ cum petia ex lino duplicata comprimatur, & fascia colligetur, hoc unum continget, ut ob pilulæ molitiem & lenitatem nullus excitetur dolor, & ob humiditatem utriusque materiæ, ita imbuatur pilula illa, ut plurimum adaugeatur, quæ cùm ob chartæ lusoriæ compressionem resurgere nequeat, quam cîtissimè ulcusculum cavū efficietur. Quod si loco chartæ lamina vel argenti, vel æris, vel alterius materiæ capiatur major fiet compressio.

Ulcere quantum satis est excavato, aut ambra, aut pilula ex cera, vel ligno hederæ, vel galerius aut pileus rotundus ex argento elaboratus, pluribus in locis perforatus in foramine cōtinuò gestandus erit, si foramen in ea latitudine conservare volueris. Quod si latius efficere volueris, nihil erit accommodatius, quam pilula ex medulla sambuci, aut melicæ. (est sorgum, frumenti species) Pilula jam imposita tunc folio hederæ, vel plantaginis, vel charta sorbillæ intra petiam lineam duplicatam uti poteris, cui pulvinus, vellamina, vel charta lusoria superponatur, ut fiat compressio.

pressio. Bis autem in die & petias & folia immutare poteris. Neq; pilula illa est in dies extrahenda. Est enim necesse ut locum sibi paret, unde non facile excidat, indies tamen circumagi debet.

Quod si caro, ut saepe fieri solet, & praesertim in principio succreverit, & luxuriantur, labraq; promineant, tum fila (scilicet filamenta concerpta) aut spongia nova minutim incisa, vel combusta erit adhibenda, aut pulvis aluminis usti, aut Ellebori nigri, aut corallorum rubeorum, aut præcipitati, aut æris usti loti, & similibus caro super abundans erit removenda. Ad validiora nō est ut accedamus, nisi necessitate coacti. Et nullum auxilium magis est præsentaneum, quam carnem ipsam, & veluti semimortua omni diligentia circumcidere.

At si per ejusmodi cauteria nihil educeretur, ut quandoq; evenire solet, sed veluti acida videantur, tuum erit ex his materiebus, quæ vim habent attrahendi pilulam confiscere, ut si fieret ex pice navalis, cera & pulvere aut Ellebori nigri, aut colocynthidis cum foliis senæ. Nam pro na-

tura humoris peccantis hoc vel illo genere pulveris uti poteris. Et loco hederæ ceratum sacrum erit adhibendum, aut ceratum ex cera & resina pini.

Quod si ulcus callosum reddatur, & propterea nihil excernatur, tum scarificandū erit, deinde cucurbitula semel aut bis admovenda. Et si patiens scarificationem nō admiserit, tum loco scarificationis, imponatur pulvis savinæ, vel calchanti usci loti. Si non cedit, ad mysi, ad præcipitatum optimè preparatum est accedendum, quo tempore partes circumjacentes cerato diachylo cum gummi, vel sine gummi, vel cerato confecto ex cera & resina abietina emollientur.

Quandoque verò contingit, ut succi, qui ad fonticulos confluunt sint actes, mordaces, & veluti venefici, ac proinde partes proximas exulcerent, & non sine dolore excorient, quo loco opportunum erit partes spongia aqua dulci tepida imbuta fovere, deinde butyro, aqua malvarum optimè diluto illinire, aut unguento ex cerussa camphorato ad formam cerati diducto occurrere.

Præ-

Præterea easdem excoriations exiccatum serum lactis caprini chalybeatum, vel aqua hordei cum malva decocta, aut aqua sancti petri, vel Aponensis, vel montis ægrorum. Et si contingat ob insignem humorum affluxum, ut fiat inflammatio, cuius causa dolor excitetur, & corpus erit purgandum, & humores reprimendi. Quare si inflammatio erit exigua ob humores jam fluxos, aut affluentes, sat erit vino austero loca illa fovere. Quod si satis insignis fuerit inflammatio tunc vinum erit alterandum cum rosis, cum malicorio, mastiche, & modico aluminis. Sed quia nō ex æquo omnes humores redundant, sed magis peccat unus, quam alter, propterea non esset abs re, si pilula ex cera fieret, cui esset admista aliqua materia, quæ magis hunc, quam illum humorem attraheret, ut supra dictum est.

Verùm quia ne dum cito & tutò; verumetiam jucundè remedia sunt administranda, propterea ad vitandum pravum odorem, qui ex ulcusculis interdum exhalare solet, danda erit opera, ut petiæ, quibus patiens utitur sint oderatæ. Erunt

autem hujusmodi, si vel cùm moscho, vel
gossipio muschato, vel ambra, vel spica,
vel lavendula, vel alia aliqua materia odo-
rata assiduè fuerint. Poteris etiā cauteriū
quandoq; abluere saltem bis in hebdoma-
da; Tempore æstatis cum vino albo odo-
rato, vel aqua rosarum, vel oleo de spica,
& aliquo cōsimili. Et hæc sunt quæ de cau-
terii administratione occurrerunt dicēda.

DE THERMIS HIRCHBER-
gensibus;

*Clariſſ. viro Domino D. Paulo Lutherο,
Medico Electoris Saxonie
digniſſ.*

SReversum me ex Thermis Hischber-
gēsibus, clarissime Dn. Doctor, appell-
avit Doctor Iohann. Knoblochius Excel-
tuæ nomine, ut quæ mihi de illarū Ther-
marū viribus, facultatibus, & lavādi modo
cognita essent, ea ordine Excellentiæ tuæ
per literas exponerem. Subesse enim cau-
fas, cur hæc excellētia tua cognoscere cu-
peret. Ego verò cùm excellentiæ tuæ no-
mini semper faverim, & hactenus nulla se-
ſe ob-

Se obtulerit occasio, qua noticia illa inter nos, Brádeburgi primùm apud Ernestum Reuchlinum cœpta, deinde hic Francofurti in nundinis renovata; in amicitiam verteretur: libenter hoc qualemque officium in me recepi, paratus in multò majoribus Excellentiae tuae gratificari, si quid injungatur tale, quod à me præstari possit. Quae igitur à me nudè & simpliciter scribentur, ea ut profecta ab animo optimè erga Excellentiam tuam affecto, in optimam quoque partem Excellentia tua accipiet.

In Silesia non procul à montanis Bohemicis oppidum est Hirschberg nomine, à nobis itinere quadridui distans. Ab eo non longè abest (nempe spacio dimidii milliaris) pagus quidam, qui à thermis ibidē scaturientibus nomen fortitus est, & appellatur *zum warmen Brunn.*

Ibi duæ potissimum inveniuntur aquarum medicamentosarum scaturigines, quæ quamvis exiguo intervallo inter se distat; tamen in viribus earum nō exigua est differētia. Utraq; scaturigo colligitur in scrobe effossa, quælibet tamē in sua propria, ut commodius infessio fieri possit, quæ fit ad mentum usque. Q

Differentiae autem causa nominibus eas
distinguunt, ut eam scaturiginem, quae li-
gneo pariete & afferibus continetur, ap-
pellent vulgo ligneum balneum. Eam ve-
rò, quę foris lapidibus quadratis circūdata
est, intus verò afferibus cincta, nominent
lapideas Thermas. Ligneum balneū pau-
peri plebeculę destinatum est, & omnibus
patet. Ejus aqua plurimū sulphurea est,
valdè exiccat, ex alto trahit, discutit, &c.
Ad dulcera ~~κακονθή~~ & diuturna valde efficax.
Præterea cacheoticis & omnibus aliis, qui-
bus totum corpus, vel una aliqua pars ex-
iccatione, & calefactione indiger apprimē
utilis.

Hæc salutaris aqua cùm nos advenire-
imus in Thermas, per influxum aliquot fri-
gidarum scaturiginum prorsus erat vitia-
ta, ut pro calida evaserit frigida, & protru-
debantur quotidie ex lateribus strobis
feces argillaceę, quę tandem opplevissent
totam fossam, nisi remedium huic malo
inventum fuisset. Ego enim motus quere-
lis & precibus pauperum, suam & Balnea-
rum vicem dolentium, egi cum Præfecto
Kinastensi, qui tum à me curabatur, ut li-
gna

gna ad ædificandum idonea, & asseres se missurum promitteret. Pecuniā (quæ operariis danda erat) corrogavi, partim à Principe, partim etiam meam addidi, atque ita aversis primū frigidis scaturiginibus, deinde prorsus obstructis, effuso interim die noctuque fonte cincta est fossa dupli ligneo alveo, utroq; satis valido & arctissimè compacto, atq; undiquaq; ita munito, ut nunc Thermę priorem caliditatem, colorē & efficaciam receperint cum magna gratulatione & gaudio pauperum. Sed de hoc ligneo fonte nolo esse prolixior. Nam de altero, in quo & ego cum Illustrissimo Principe officii magis, quàm necessitatis gratia lavi, malo plura dicere.

In his lapideis, (ut appellant) Thermis, lavant ii tantū certis horis, qui non sunt de infima plebe. Neq;. n. quemlibet errorē scabie scatentem, ulcera sua inferre sinunt. Et insident in alveum illū homines ad summū sex. Si qui supra hūc numerū se ingerunt, iis standum est toto lavationis tempore, nisi egressis aliquibus succedāt.

Aqua harum Thermarum calida dicitur temperatè, sed ut mihi videtur ultra

temperiem ad primum gradum accedit. Atq; inde colligo, quod ignis subterraneus remotior sit à scaturigine, quodq; aqua illa extra canales calefiat. Nam quo ignis vehementior, & aquis vicinior est, eò calidiores Thermæ, ut appetet in Carolinis. Hanc puto in itinere defervescere, ut minus sit calida, ac téperie propinqua. Sulphurea est, sed lögè minus, quam illa, quæ in ligneo fonte est. Præterea vim habet aluminosam & ferream. Odor etiam bituminis aliquid inesse arguit, & cinerem insuper secum vehit.

Bituminis igitur & sulphuris ratione emollit & discutit, etiam tendones scirrhosos. Ob alumenum verò & ferrum astringit & corroborat. Itaq; propter mixturam prædictorum partim resolvit, partim vim ac robur membris adjicit, & meatus coarctat. Hinc fit ut qui fluxionibus (ad scapulas, ad spinam, ad coxendicem, ad juncturas manuum & pedum) obnoxii sunt, ad has potissimum Thermas se conferre soleant; & sentiunt sanè se juvari, & aquam hanc minimè inefficacem esse.

Vidi ipse viros & mulieres pedibus captos

ptos in thermas inferri, post aliquot dies baculo innixos ingredi, ac tandem liberè sine ullo fulcro pedibus jam validis incedere. Aliquot Podagricis & Arthriticis, q^u carnes in pedibus habebant molles & flaccidas autor fui, ut eò se conferrent, & regressi sunt sani & gaudentes. Instructi aut à me fuerunt antea, ne prius se balneis committerent, quām adferrent corpus ad balnearum usum rectè præparatum.

Cùm namq; Arthritis ex fluxione oriantur, ut arthritici ipsi testari coguntur, & ad fluxionem quamlibet quatuor illa cōcurrat; Materia ad fluxum idonea, membrum mandans, vię, & membrum recipiens. Ego priora duo in me recepi, primum ut materiam alioqui fluxuram, vel per venę se cōtio- nem, vel per evacuationem per cōmoda intervalla detraherem, idq; ea moderatio- ne, ne qua sequeretur agitatio, quę magno impetu fluxiones præcipitat ad membra debilia. Deinde ut membris mandantibus prospicerem, habita simul & somitum & cloacarū corporis ratione. Itaq; & capitis repletionem minuere studui, & exiccan- dis reliquiis nō in capite solūm; sed in toto

quoq; corporis habitu intentus fui, atque interim viscera coctionibus destinata, praecipue veretriculum & hepar ad officium reducere conatus sum, cum constet hec duo membra una cum ambitu corporis & venarum fomites esse repletionis capitis & fluxionum ad membra. Certe cum hi delirat Reges plectuntur Achivi. Nec minori cura ad cloacas corporis respexi, praecipue ad renum, & natum obstrunctiones, que mira dant arthritidi incrementa. Pleriq; etiam ex harum partium obstruktione adv&etum paroxysmi sibiipsis praesagiunt, non aliter, quam Gallinacei mutationem aurae.

Ac profecto non levis ansa redeundi paroxysmo datur, cum obstructis cloacis corporis retinentur ea, quae naturae ordine expelli debebant, & quasi regurgitatione quadam in membra a priorib. paroxysmis debilitata redundant. In ejusmodi fluxionibus renes semper suspectos habet. Nullum enim haetenus vidi arthriticum (vidi autem quamplurimos) qui a calculo immunis esset.

Quicquid autem animadverti reliquarum superesse in corpore, id temperantia
in vi-

in vietū, & exercitio moderato, nonnunq̄
etiā inedia, & balneo laconico discussum
est, ne novæ fluxionis materia coacerva-
retur. Vidi qui oleo vitrioli hāc materiam
cōsumere & exiccare conarētur, eò quòd
vehemētissimè siccat & detergat, & initio
sanè juvamentum percipiunt ēgri, cum in-
ter utendum ventriculū adstringi, avidius
appetere, & fluxionum materiam minui
sentient, sed tandem cacheēticos evasisse
scio, ut interim de aliis morbis taceam.

Mihi sanè suspecta est vis caustica, quæ
remanet in eo oleo, etiam juxta Paracelsi
doctrinam parato. In morbis quidem ex
crassissimo phlegmate aliquoties usus sum,
sed nulli autor esse volui, ut continuata u-
surpatione aliquot guttarum moderatum
calorem ventriculi, (qui coquendo desti-
natus est) obtūderet, & sanguinis bonitatē
corrumperet. Si enim ab externis conjici-
endum est de internis, quid aliud in foco
coquit, quām calor, & acida corrugare os
ventriculi, & appetētiā excitare ex aceti
usu novimus. Tales igitur qui assiduē hoc
oleo utūtur, et si per aliquod tēpus de bo-
nitate appetentię, & fluxionū exiccatione

sibi gratulantur, ad extremum tamen, & tempore procedente, nocumenta ventriculo, & reliquis membris illata, cū gemitu agnoscere coguntur. Sed næ ego ineptio, qui de Thermis scribere exorsus ad hæc quodammodo aliena calamis ductu devolvi me passus sum. Pergam igitur ad reliqua,

Præparato ad Thermarum usum corpore, reliqua eos ex Thermis expectare jussi, nempe viarum adstrictionem, & membra recipiētis corroborationem. In arthriticis enim magna est viarum fluxionis amplitudo, & laxitas non viarum tantum, sed & corporis. Eam corrigunt Thermæ vi aluminosa & ferrea, deinde membra recipientia influxum sunt debilia, vel propter ingenitam vitiosam proprietatem, vel propter laxitatem juncturarum, propter inferiorem positum, præter resolutas vires ex antecedentibus paroxysmis, &c. ut influxionib. resistere non possint; sed eas promptè recipient, & horum imbecillitati succurrunt Thermæ. Sulphuris enim ratione resolvitur & discutitur id, quod se in juncturas insinuavit. Ferri autem & aluminis

artus

artus roborantur, astringuntur, densantur, ut fluxionibus minus pateant. Hinc itaque appareat ratio, cur fluxionibus arthriticis obnoxii has Thermas petant, quidq; & quatenus, & quantum sibi ex iis polliceri possint.

Non tolerant autem hæ Thermæ Gallico morbo infectos. Sevissimi enim in iis cruciatus excitantur. Neque sufferunt leprosos, hydropicos, asthmaticos. Gulosos quoque plus lœdunt, quam juvant. Cujus rei multa exempla vidi in Nobilibus, qui nullam quietem ventriculo relinquentes, & supra vires eum onerantes cibo potuq;, aut in febres inciderunt, cum corpora haberet cruditatum plena, quibus facilè putredo induci potuit, aut deterioribus fluxionibus, & atrocioribus cruciatibus correpti sunt, quam priores erant, de quibus conquerebantur.

Oculis esse incommodam aquam, & alios conqueri audivi, & ipse sensi. Dicitur etiam Epilepsiaæ invasiones reducere, quod tamen affirmare nolo. Si enim ita est, ob bitumen id fieri credo, quod in ea esso puto.

Porrò cùm Thermæ in duplici usu habeantur, nempe, ad potum, & ad balnea. Hæ balneis potissimum serviunt, & externis quoq; vitiis utiles sunt, ut medicamentum topicum. Quanquam etiā potæ multis eximiam opem cōtulerint in gravibus morbis, ubi multa sumpta & admota nihil contulerunt. Vidi præter cæteros ante quadriennium Uratislaviensem quēdam, Hörningum nomine, multo tempore colicis & articulorū doloribus excruciatum, consilio Uratislaviensiū Medicorum, præter suam & amicorum spem ex potu ejus convalescere, elevatisque in cœlum manibus Deo gratias agentem sanum descendere.

Manè post exhaustum & mundatum fontem, hauritur aqua recens (antequam quisquam insideat) scaturiens. Antea cantharus ad ipsam scaturiginem demitti solebat, ad excipiēdam aquam purissimam. Fluebat enim per lapidem excavatum, tanquam per canalem. Sed ante biennium quidam, nescio an ex imprudentia, vel malevolentia, lapidem illum mala fide tractarunt, ut mutilato eo, perierit hæc commo-

commoditas. Itaque nunc prope scaturiginem saltem, mundato fonte aqua hauriri potest. Haustum unum per alvum egressie purgare ajunt, & vidi hoc frequenter fieri in hominibus rarae texturæ, habentibus intestina acuti sensus, ita ut ex sorbitione saltem inde parata aliquoties egescerint. Mihi periculum bis facient ut experirer, num haec ita se haberent, non est mota alvus. Cumque ex haustu satis magno ventriculum gravari sentirem, ab experiundo ulterius destiti. Nihil enim æquè noxiū est, quam aquam medicatam potam retinere in corpore.

Urinas tamen valde ciet, idque verum esse testari possum. Hoc consilio Uratiſlavenses Medicos arbitror Podagricos & Ischiadicos, bene prius purgatos ad has Thermas mittere, ut potæ reliquias à partibus debilibus avertant, easque per alvum & urinam educant, deinde ut in ſeffione quoque membra debiliꝝ roboren- tur.

Veruntamen magis lavandi, quam potandi gratia itur ad has thermas, idq; potifimū in Maji medio, & frequentius in

Junio. Nam ibi nivea montium cacumina
aërem etiam in medio Majo plurimum
refrigerant, & venti spirant frigidi. Puto
autem cùm membra roboris conciliandi
gratia lavare consiliū est, aëris potius tem-
periem, quām mensium certorum dele-
ctum spectari debere, ne videlicet nuda
corpora, vel nimio frigore (cui post lava-
tionem exponuntur) offendantur, vel ca-
lore immodico vires diffolvantur. Cæte-
rūm quibus verno tempore Thermas adi-
re non licuit, ii in Augusti medio & Septē-
bri se ad eas conferunt,

Solent magna ex parte centum horas
balneis impendere, sed ita distributas, ut à
modicis initiis paulatim ad majora incre-
menta progressus fiat, donec ventum sit
ad senarium numerum, ultra quem non
progrediuntur. Exempli gratia, Per biduum
insident singulis diebus hora una, sequen-
ti biduo adjicitur moræ hora dimidia, tum
ordine procedunt ad horas duas, tres, qua-
tuor, quinque, usque ad sex, quoquo diu-
tius lavare constituerunt, eo pluribus die-
bus sex horis lavant. Has tamen horas ita
dimetiuntur, ut media pars illarum ante-
meri-

meridiano tempori, altera medietas post meridiano tribuatur.

Primitus infestationis diebus contrahitur venter, & augetur cibi appetentia, sed tamen oportet frugalius uti cibo & potu, q̄ pro consuetudine, hoc est, tantum sumere, quantum ventriculus concoquere possit. Nam qui cum cruditatibus insident, inflammantur, & torminibus cruciantur.

Ubi propemodum, ad summa pervenitum est, tum ratio iniri debet, an expeditat diutius lavare, vel minus. Mihi sane nunquam placuit vulgaris ille modus prescribendi certas horas, cum ignoretur, quot quisque ferre possit. Alii enim diutius, alii minus perseverare possunt. Præterea proportione corporum in aliis efficacius, in aliis minus operantur Thermæ. Proinde præstare arbitror tempus balnei pro cuiusq; natura & viribus, ac operationis modo mensurare, in eoque (ut dictum est) per gradus progredi, ut aquæ vis sensim irrepons, in dissolutum laxumque corpus firmorem impressionem faciat. Nam qui impetu aut saltu ad Theras illas profiliunt, aut æquo diutius in illis moram tra-

hunt, præsertim si cacochemica habeant corpora, & intemperantiæ frena laxent, ii, vel febribus corripiuntur, vel ulcera iis, aut exanthemata erumpunt, quorum nihil accidit iis, qui Thermis recte utuntur, ut hinc liquido appareat non Thermarum, sed male iis utentium culpa accidere, quod quidam languidores redeunt, quam accesserant.

Postquam autem ferè officio suo satisfecisse videntur Thermæ, tum ordine retrogrado quotidie de mora detrahitur, & iisdem gradibus diminuuntur, quibus ante augebantur horæ balnei. Neque enim vacaret periculo, si quis repente abrumperet lotionem, aut ab usu ejus nullo interposito temporis spacio desistere vellat. Metuendum siquidem esset, ne cursus extranei aëris repentinam aliquam alterationem induceret.

Vulgarium opinio est, tam diu lavādum esse, donec cutis rubescat & erodatur, *bis es ausschleget*, & id tribuunt facultati & laudi Thermarum. Cumque illa cutis erosio seu exulceratio appareret, tum ad summum balnei perventum esse putant, & tum pri-

mum

mum de hotis balnei aliquid remittere incipiunt. Ego verò cutis illas erosiones potius ex multitudine recrementorū, in non probè purgatis, ex cibis superfluè, & non justo tempore assumptis, ex habitu corporis, ex diuturnitate balnei, & acri- monia provenire puto. Et sunt qui bis vel ter exulcerentur.

Arbitrantur autem è Thermis non discedendum esse, nisi sanata prius cute, quod sit, cùm per continuationem balnei, materia paulatim per meatus digerit. Metuunt enim ne scabiem aufe- rant, quam non facilè postea abigi posse ajunt.

Multi etiam quibus hora ad lavandum commoda contingere nō potest, aut alio- qui pro voluntate aquam Thermarum in alieno calefactam, in labrum infundi cu- fant, in eoque tot, quot volunt, horis desid- ent. Sed viribus eius aliquid decedere pethibent.

Transportata sanè aqua in aliū locum, non eām habet, quam in propria scaturige- ne efficaciam, cuius rei sāpe periculum fecerunt Hirschbergēses, qui saltē medio

milliari absunt à thermis. Ditiiores enim, qui usu earum in gravibus malis liberati erant, curarunt aquam in oppidum transvehi, redeuntibus iisdem malis, ut ea calcata, quomodo, & quando vellent, ute-
rentur, verùm nullam inde opem memo-
randam percepérunt, sed si sanari volue-
runt, coacti sunt ad ipsam scaturiginem re-
verti.

Caput lavare aqua Thermarum nō ex-
pedit, sicut alioqui in genere non consul-
tum est thermis sulphur aut æs habéti-
bus humectare caput. Ego quoties id feci, sen-
si nocumentum. Princeps tamen ultimis
lavationis diebus embrochæ seu instilla-
tione uti solet, quæ ut minus sit noxia, &
reliquias in capite absumat, in quo her-
bas exiccantes & corroborantes caput, ad-
ditis foliis senæ, Agarico, radicibus Asari,
&c. Et quanquam mallem instillationem
interdum ab ipso omitti, aut esse brevio-
rem, cùm sciam habere ipsum caput re-
pletum vaporibus & negotiis, &c. tamen
connivendum est interdum ad quædam,
quæ frustra reclamantes mutare non pos-
sumus.

Thermis

Thermis contiguum est balneum Laconicum, seu sudatorium, cuius usu corpus præparari potest ad lavacrum, ut aperitis cutis meatibus, facilius aqua Thermarum ad interiora penetret.

Longè fortiores Thermis Hirschbergensibus sunt Carolinæ, quæ calidæ & siccæ sunt usq; ad tertium gradum, & habent sulphur, alumen, nitrum, suntque efficaciores ad membra resoluta & contracta, discutiunt dolores spinæ, coxendicum, articulorum, dissipant crurum tumores flatuosos & laxos, renumq; & vesicæ calculos abigunt. Itaque Hirschbergenses mediocribus artuum malis, & rarioribus corporibus: Carolinæ verò vehementibus, & penè deploratis nervorum morbis, & robustioribus corporibus convenire vindentur. Præterea hæ diutinis & contumacibus: illæ recentibus & non inveteratis malis magis sunt commodæ.

Hæc habui, clarissime Domine Doctor de Hirschbergensium Thermarum viribus, & lavationis consuetudine, quæ ut à me visa compertaque sunt, & ut in calamum venerunt, ita ad Excellentiam

R

tuam scribere volui, confisus maximè hu-
manitate tua à multis prædicata, & quod à
Doctore Knoblochlio intellexi Excellentia-
tiam tuam hoc ita à me fieri velle. Quod si
hac in re voluntati tuæ satis factum est, nō
omnino operam lusi, sin minus peto, ne
imperitia mea mihi apud Excellentiam
tuam fraudi sit, utq; ea, quæ nullo alio cō-
filio, quām ut Excellentia tuæ gratum fa-
cerem, scribere institui, bono animo acci-
piantur, Bono certè à me scripta sunt. Be-
nē valere Excellentiam tuam opto, rogo
que in amicorum numero Excellentia tua
me quoque numeret, & an hæ literæ redi-
tæ sint significet. Datae Francofurti ad
Oderam 15. Iunii, Anno 1569.

*T. Caspar Hofman D. Electoris
Brandenburgici Medicus ord.*

MAGNI-

MAGNIFICO ET EXCEL-

*lentissimo Medico & Philosopho D. Petro**Monavio Domino obser-*
vantiss.

Excellētissime vir: literas tuas liben-
ter legi, tum quia his amorem erga me
tuum facile perspexi, tum etiam quia nō
nullas dubitationes proposuisti, doctas sa-
nè, quæ te studiosissimum esse ostendunt:
Sed cùm solutiones harū cupias à me au-
dire, opinionem meam brevissima oratio-
ne tibi scribere non gravabor, cujus brevi-
tatis in caussa sunt, publicæ lectiones, &
egrotantium hominum frequentes visita-
tiones, quibus tota ferè die impediōr.

Dubitas primo de causa contentiva à
me proposita, quid sit, & quid hac seclusa
morbus sit. Miraris valde, quod dixerim
intemperiem, malam compositionem, &
solutam unitatem esse causas morbi con-
tentivas, cùm omnis morbus sit vel intem-
peries, vel mala compositio, vel soluta uni-
tas. Dicis postremo, causam contentivam
realiter nō differre ab antecedente & id
esse cum conjuncta.

Morbus, vir præstantissime, est facultas
læsa, vel, ut alia voce utar, impotentia quæ-
dam hominis ad operandum. Hæc ini-
potentia ad operandum cùm sit quidam
effectus, habet causam, à qua dependet
in esse & in conservari. Hæc causa aliud
non est, quæm constitutio vitiosa organi
animati, quod sanè organum est pars vel
similaris vel dissimilaris. Hæc autem vi-
tiosa constitutio est, vel intemperies pro-
pria organi similaris, vel mala composi-
tio propria organi dissimilaris, vel soluta
unitas utrique communis. Unde sequitur,
quod hoc ordine homo egreditur extra
latitudinem sanitatis. Causa primò occur-
rit præter naturam, quæ operatur in orga-
num animatū: Hec vitiat constitutionem,
hac vitiata, illicò sequitur læsio facultatis,
& impotentia ad operandum. Quare vi-
tiosa constitutio sive sit intemperies, sive
mala compositio, sive soluta unitas, erit
causa contentiva læsionis facultatis: Mor-
bus ergo potest sumi bifariam. Vel sine
causa contentiva, & hac ratione aliud non
est quæm impotentia ad operandum, &
hoc modo sumptus, potest vocari morbus
logi-

logicus: Nam ope solius intellectus abstrahitur læsio facultatis à vitiosa constitutione, cùm realiter non potest esse sine vitiosa constitutione organi animati. Quando Galenus ait, omnem morbum esse vel intemperiem, vel malam compositionem, vel solutam unitatem, sumit malum una cum causa contentiva, quæ est vitiosa cōstitutione, & ut sumitur à morbo juvantis indicatio: In hoc sensu dicebat in libro de optima secta non sumi indicationē à morbo. In hoc sensu rursus dicebat in libris methodi, sumi indicationem à morbo. Quod hoc sit verum duo loca ostendunt. Unus est Galeni, alter Avicennæ. Galenus in 2. libro de natura humana ait, plenitudinem non esse causam contentivam morbi: & ita argumentatur Galenus: Morbus immediatè lædit operationes. Plenitudo non lædit operationes immediatè. Ergo plenitudo nō est causa contentiva: Ecce quod confundit causam contentivam cum morbo. Auicenna etiam in 2. Fen primi libri tractatu primo ait: Esse tria genera ægritudinum. Unum dicit, sequi intemperiem. Aliud malam com-

plexionem. & tertium solutam unitatem. Dicit etiam in prima Fen primi libri, causas formales morbi esse intemperiem, malam cōpositionem, & solutam unitatem. Hinc colligo, causam contentivam esse causam formalem, esse de essentia morbi, & ideo ab hac sumi indicationes curandi. Quod contentiva causa non differat realiter ab antecedente, & quod sit conjuncta, falsum est, quia causa antecedens & conjuncta sunt efficientes & ab his non sumuntur, nisi indicationes præservatoriaræ, quæ interdum communi modo loquendi dicuntur curativæ, quando scilicet corpus actu ægrotat; Causa contentiva est formalis & ab hac sumitur semper indicatio curativa & quia de nominibus parva est habenda sollicitudo. synonymas puto hæc voces, contentivam, & continentem. Nec unquam legi partes continentæ vocari ob id causas cōtinentes morbi, sed materiales potius & subjectivas: Et hæc satis dicta sint de causa cōtentiva, &c.

Dubitas secundò, cur à me fuerint omissæ in curatione doloris capit is indicationes curativæ alias propositæ. Nam dolor

lor est symptoma, symptoma morbum necessariò sequitur & à morbo sumuntur indicationes curativæ. quare in curatione doloris capitis erūt hauriendæ indicationes curativæ.

Dolor potest sumi bifariam. Uno modo formaliter, ut dolor est, alio modo causaliter. Indicationes, quæ sumuntur à dolore, ut dolor est, duæ sunt, sensus tactus obtusio, & ejusdem remotio: & ambæ sunt præservatoriæ, quia non concurrit dolor ad indicandum, nisi ut habet rationē causæ urgentis, unde sequitur ex hoc, quod in curatione doloris, ut dolor est, non habent locum nisi indicationes præservatoriæ. Si consideretur dolor causaliter, causa doloris vel est morbus vel est causa solum, & non morbus. A morbo sumuntur indicatio curativa, à causa præservatoria. Sed istæ indicationes, quæ præsente dolore sumuntur vel à morbo vel causa, nō sunt indicationes à dolore, ut dolor est, ut scilicet est sensus objecti cōtristantis. Quare nullā adhuc video esse in meis dictis discordiam. Moneo te tamen, ne credas hanc propositionem, quæ dicit, symptoma ne-

cessariò morbum sequi, esse universalem affirmativam, ut pleriq; arbitrantur. Nam est propositio affirmativa indefinita, quæ particulari æquipollet. Nam falsum est, & ridiculum, quod omne symptoma necessariò morbum consequatur, quamvis aliquod symptoma necessariò morbum cōsequatur, & hoc symptoma est actio læsa facultate. Nam actiones omnes læsæ læsione facultatis morbum cōsequuntur, ut umbra corp^o. Et ego existimo, dolorē esse actionem læsam nō læsa facultate tactoria, sed ob externum errorē, &c, quamvis morbus aliquando sit causa doloris, non ob id tamē ille morbus est morbus respectu doloris, sed respectu aliarum operationum: Quæris, cur dixerim putrefactionem materiæ esse vitium ratione formæ, & venenationē esse vitiū merito organi formæ principalis: Vir præstantissime: Mixta similia ria habent in se formam, proprietatem, & complexionē: Forma est agens principale. Proprietas & cōplexio sunt instrumenta. Proprietas relata complexioni magis principaliter cōcurrit, & hoc colligi potest ex i. cap. 3. de sympt. causis. Putredo, auto-
re Ari-

re Aristotele, est corruptio. Corruptio autem est mutatio ab esse simpliciter ad non esse simpliciter. Esse simpliciter habet materia à forma. Non esse simpliciter cōtingit ex absentia & interitu formæ, quæ forma corruptitur à putredine per dissolutionem mixtionis. Venenatio consistit in occultâ quadā proprietate adversante cordi: Rectè igitur putrefactio erit vitium merito formæ, & venenatio merito organi formæ principalis. Quantum attinet ad indicationem illam, an sit agendum, à quo scilicet desumatur. Hæc alia non est indicatio, quām agendorū indicatio, inventionis juvantiu, & quid agendum. Nam querere an sanguis evacuandus sit nec ne, est quærrere, quid agendum, Et hæc indicatio sumitur ab essentia indicantis.

Quantum attinet ad viam cognoscendi phibētia. Ego sanè puto nos arte aliquavene posse in cognitionē phibentiū. Hæc autem est methodus resolutiva, & demonstratio signi, quæ nō spectant ad artem curandi, sed ad partē medicinæ simioticen. Sit vena secunda, virtus vitalis prohibeat, pulsu cognoscitur virtutis vitalis infirmitas.

Hæc sunt quæ pro temporis angustia potui breviter scribere, ut tibi viro doctissimo, & mei amantissimo satisfacerem. Interim fac, ut me diligas & si quid aliud animum tuum perplexum reddit, protinus me certiorem facias, cum nihil mihi gratius possit in hac vita cōtingere, quam studiosissimis viris & mei amantissimis morem gerere. Vale. Datum Patavii. Prid. Non. Nouembr. Anno 1579.

Hieronymus Capenaccius.

*Hieronymus Capenaccius D. Petro
Monavio S. P.*

Vir Magnifice & charissime. Tardius ad te rescripts, quam statuerā occupatiōnibus impeditus. Nunc verò ut tuæ morem geram voluntate, illud in primis scias velim, nihil mihi molestius futurū, quam ut methodus curativa nobis inscientibus imprimatur, præfertim cum nondū extrema manus imposita fuerit, & si quis adeò esset audax, ut imprimenda curaret, ne quaquam permitteremus, ut publicè venderetur. Curabimus tamen, si Deus dabit, ut brevi publicè vel legendo vel scriben-
do in

do in communem utilitatem prodeat, atque cum ea fortasse doctrina de venenis erit conjuncta, in quibus utrisq; multa desiderari possunt.

Sed accedamus ad dubitationes, quibus ut ordine respondeamus, illud in primis statuendū est verissimū, esse in omnibus morbis causam contentivam, & habere locum, si tamen morbus capiatur pro virtute proprietatis, Tum enim morbus est in fieri. Quod si capiatur pro constitutione præter naturam, procul dubio ab eo se-jungitur causa contentiva, cùm sit in facto esse. & quamvis ejusmodi morbus revera sit causa efficiens, habet tamē apud medicos rationem formæ: Cùm verò dicimus morbum fieri læsa facultate, non est credendum nos excludere morbos in mala compositione & soluta unitate, quandoquidem & ipsi sunt læsa facultate non laborfactata, sed impedita.

Nec duo tantum genera morborum constituere debemus, si partes similares à dissimilaribus per simplicitatem, & compositionem distinguantur: A dolore vero, ut dolor, non curativam, sed præser-

vativā indicationē desumi posse existimamus, ut anodyna quandoq; sunt frigida, quādoq; humida, quandoq; calida in primo. Neq; symptomā perpetuō cōsequitur morbū, cūm actio lædi possit non læsa, sed frustrata facultate ob errorem externum.

Etsi Galenus quandoque dicat partes nostri corporis ab humiditate alterari & corrupti, non tamen debemus statim inferre, ergo ab humiditate fit dolor, & si dicas, sententiam esse Hippocratis, dolorem fieri ex alteratione & corruptione, nos fati debemus, dolores non fieri sine permutatione: Sed propositio Hippocr. intelligatur secundum subjectā materiam, hoc est, si fiat, cum violentia, quod de humiditate nequaquam est dicēdum. Quare si Galenus videtur quandoq; dolores referre in humiditatem, non est, ut existimemus, in solam humiditatem esse referendos, sed quæ conjuncta sit vel cum altera ex activis qualitatibus, vel cum materia. At fames fit ex privatione sicci. Ergo & redundantia humidi: Non valet consequentia.

Quod autem non agnoscis discrimē interpro-

ter proprietatem & temperiem mirum non est, quoniam & multi alii non agnoscūt, nihilominus si statueris temperaturā in similaribus facere proprietatem, compositionē in dissimilaribus, ut voluit Galen⁹, nō amplius admiraberis, cū sine hujusmodi proprietatibus actio nulla possit fieri.

Nec miramur, si nō intelligis, quomo^d mixti forma semiputrescat, quoniā id veritati repugnet: At nos cùm dicim⁹ materiam semiputrescere, imitamur illos, qui appellant homines semivivos, & semimortuos, quorū tamen forma incorrupta manet. De permittentium verò & prohibentium natura, quod scribis, te in sententia nostra acquiescere non posse, non est mirandum, si plura permittētia, plura prohibentia, quām tria quæris. Quod si statueris tria tantum esse permittentia & prohibētia, quemadmodum etiam tria indicantia tantum, cætera tria hæc circumscribere, & definire, & specifica, imò singularia reddere, procul dubio nō amplius dubitabis, nec opus erit methodo ad inveniendū id quod permittit vel prohibet, cùm semper hæc tria sint spectanda & ab his declinare nequaquam valeamus.

Postremò, quod quæris, quæ natura fuit illius morbi epidemicus, qui superioribus diebus per universam ferè Europam grassatus est: Si licet dicere quod sentimus, arbitramur merito causæ externam originem duxisse; ab aëris constitutione: Sin internā, à materia catarrhalis, quæ dum putrescebat, nunc febrem ephemeralam, nunc putridam excitabat: quemadmodum in febribus, quæ ex bubonibus fiunt, nec putamus, morbum fuisse contagiosum, præsertim apud nos, quoniam nec fuit perniciosus, immò brevi aut nullo etiam auxilio restituebantur. Hæc sunt quæ horis succisivis rescribenda duximus. Intervim, vale, & nos, quod facis ama.

*Hieronymus Mercurialis D. Petro
Monavio S. P.*

Excellentiss. Domine: Ut tarditatem tuam in respondendo meis literis adeò eloquenter excusares, nulla certè aut animi mei erga te suscipio, aut tui error exigebant: Sed quod id peraccuratè facere libuerit, insigni tuæ humanitati atque singulari erga me propensioni tribuo, eoque nomi-

nominē, quas possum, ago gratias. Etenim de equis illis jam Cratonis prudentissimi senis consilium secutus sum, atq; in eo nunc multò magis lātor, cùm video te quoq; summis rationibus ejuscemodi liberationem commendare. Itaq; silentio illorum tractationi imposito, ad ea quæ ex me quæris venio: Verum contagium putredinis sobolem esse semper agnovi. Verum alterius non veri contagii, quod recentiores aliqui *συμπάθειαν* vocare maluerūt, causam haud putredinem esse, nulla scriptorum autoritas, nullāve ratio vetat: Sic enim qui oscitantes vel sternuentes aspiciunt, eos pariter & oscitare & sternere advertimus, cui non admodum dissimilem existimo fuisse eam cōtagionē, quam in præterita epidemica synochorum imputridorum constitutione affuisse nō dubito. Scis enim putredinem febrilē nunquam contagiosam evadere, nisi ingens admodum sit, alioqui febres quælibet ex putrescentibus humoribus ortæ, cur non omnes essent contagiosæ? Jam verò nemo est qui non fateatur antea cætas febres aut omnis putredinis expertes extitisse, aut

perexiguam habuisse. Quomodo vero
sympathian aut contagii genus id existi-
maverim, potes in meis ad Cratotem lite-
ris facile cognoscere. Si Galenū nunquam
errare potuisse, ut aliqui male consciū p̄ræ-
dicant. Existimas, jure quæris, quo pacto
plumbum aëreum simul & gravissimum
sit: Sed si & Aristotelem & sensum, ac ra-
tionem, ut debes, sequi malueris, eum in-
signiter in plumbi natura indicāda lapsū
esse fateberis. Nam metalla ex vaporibus
tum aqueis, tum terreis vi caloris, ac frigo-
ris conflari tam apertè demonstrant Peri-
patetici, ut nihil certius sit, quàm aurum,
plumbum, hydrargyrum idcirco esse cor-
pora gravissima, quod constent ex aqua,
& terra optimè percoctis, congelatis, &
mixtis, siq; hydrargo motus ille peren-
nis, & eximia tenuitas inest, non ob aliud
esse, quàm ob aërem, qui non multus ob
egregiam mixtionem aquæ congelatae
inclusus exitum quærens tantisper totum
corpus ciet, donec veligne, vel quapiam
alia externa causa dissoluto illo corpore a-
queo & terreo abit, simulq; & terram &
aquam

aquam dissolutam abire facit. Hæc ignorasse gravissimum scriptorem Galenū valde miror, aut saltem dissimulare, cùm scripsit, esse in plumbo multam substantiam humidam congelatam aëream, & paucam terream. Sed multò magis ipsius simplicitatem admiror, qui dixit, cavernosum esse plumbum, ac propterea pondus ejus, ut statuarum vincula probant, diurnitate augeri, quod aëreum sit. Etenim sanè nescio an Grāmaticorum liberi eum in modum philosopharētur: primū, valde dubito, falsum esse plumbi pōdus, aut molem ulla ratione augeri, cùm penè contrarium exploretur in iis tegulis quibus culmina templorum cooperiuntur: sed etiamsi illud concessero, non quia aëreum augetur. sed quia superficie ipsius corrupta, terraq; & aqua dissolutis, utrarumq; pondus magis atq; magis sese exerit, corrupti autem vitio aëris & temporis plumbi superficiem ex eo facile convincitur, quod si vetustum & usu consumptum eliquerit, multò major recrementorum, quam solidæ plumbi substantiæ copia extabit. Habes, mi Monavi, quæ inter varias visitationum & pu-

blicarum lectionū occupationes tuis gravissimis dubiis hoc tempore duxi respondenda. In iis, si quid tibi à me satisfactum erit, pro lucro non exiguo putabo. Sin minus, spero, quę tua est cunctis spectata probitas à te meas vires excusatum iri. Vale, meq; ut facis, ama: Patavii 17 Febr. Anno 1581. &c.

Petro Monavio, viro præclarissimo, Hieronymus Mercurialis s.

Optassem Monavi mi, aut plus otii mihi superesse, aut curarum minus habere, quo præclarę tuę pro Galeni circa plumbi naturam suscepta de fensione disceptationi responderem: sed quia ea est omni tempore, & præsertim hæc nostri ordinis hominum conditio, ut vix tundendis unguibus præ infirmorum visitationibus, publicis lectionibus, atque studiis facultas concedatur, me excusatum iri apud te spero, si ea disputatione jam meis literis inchoata, tuis autem penè confecta, nunc dimissa, ad ea, quæ proposuisti problemata explicanda convertar. Ubi prius tamen illud addidero, quod nō recte in aliis meis percepisse

cepisse videris, plumbi laminas sub dio, quemadmodum etiam peritissimus fateatur Agricola, idcirco auctas videri, quoniam ipsarum pondus crescit: atqui crescit, non ob aliud, nisi quia corrupta ab ambiente modo calido, modo frigido, superficie, partes aqueæ, & subtiliores in cinerem vertuntur, unde vis illa terrestris, & ponderosa plumbi, quæ prius ab aqueis partibus veluti sublevata quodammodo occultabatur, magis sese exerit, sicque jure pondus augeri videtur. Nam idem plumbum, si comburatur, decima atque etiam amplius parte, quam antea ponderare conspicitur, non ob aliud, quam quod partes aqueæ in cinerem, & terram conversæ pondus addunt, sicut aqueæ velut sustollentes corpus plumbi levius reddabant. Nunc ad quæsita: Scribis enim videri tibi, non levem in Aristotelis commentariis contradictionem, quod 4. Problema: decimoquinto tradat, rem nullam in aqua liquefcere posse, quæ igniliques fieri apta sit, ceu plumbum, & ceram. de quo postremo etiam dubitas.

In commentariolo verò de admirandis

auscultationibus scribat, stannū Celticum multò citius plumbo liquefcere, quia in aqua etiam liquefieri soleat. Ego autē nullam ~~αινησιαν~~ inesse, si ut par est, intelligatur uterque locus, puto. Nam suapte natura, & ut dicunt per se, nil potest in aqua liquefieri, quod igne liquefcat; quēadmodum locutus est in problematis. Atqui nil prohibet, id per accidens posse contingere, eo nimirū pacto, quo ipsem̄t philosophus in admirādis explicuit. Ubi ab externo aquæ frigore intestinū stāni Celtici calorem pulsuum cogi, coactum augeri, auctum liquefacere docet, haud secus atq; gravissimus autor Theophrastus in lib. de igne metallis in Ponto intra terram liquefieri indicavit, calore scilicet terræ ob aëris frigus intro collecto, & aucto.

Quod secundo loco postulas, ut causam reddam, ob quam in Germaniæ metallis sales confiantur in caldariis plūbeis, neq; ejusmodi vasā etiam vehementissimo igne incandescētia dissolvātur, haud sanè explicatu facile est. Tentabo tamen in re admodum dubia & obscura, & à nullis fortè proposita, aut saltem exactē explicata sententiam

tentiam meam aperire. Quæ enim summo frigido, sive humiditati, sive siccitati coniuncto sunt cōcreta, tunc dissolvūtur, cùm humor congelatus solvitur, absumiturve, cumque illa compages, & partium terrestrium unio corrumpitur. Quas res ignem sua vi & calidissimū & tenuissimum efficere, apud omnes exploratissimum est. Itaque si aliquid reperitur, cuius facultate corporum hunc in modum concretorum humor congelatus servetur, simulq; unio partium ab ignis violētia protegatur, planè indissolubile etiam igne tentatum evadere, rationi consentaneum erit. Hujusmodi autem est sal, nempe, qui sua pingui humiditate plumbi humidum à consumptione, & dissolutione tueri, facultate verò insigni, qua pollet, astrictoria compaginem, & unionem partium ejus in medio flamarum cōservare, egregiè valet, perinde ac experientia compertum est, si quis patellam chartaceam efficiat, camq; oleo semiplenam supra prunas componat, minime chartam vi ignis consumi. Salem verò magnopere astringere, ita apud omnes compertum est, ut neminem sanum id ne-

gare posse existimem : quod etiam humi-
ditate pingui, & oleosa polleat, præter A-
ristotelis id in Meteorologicis, & Proble-
matis afferentis auctoritatem, extat locu-
pletissimum Plutarchi testimoniū in pri-
mo quæst. natural. nec non primo convi-
ual. problem. nono, tibi & salem marinam-
que aquam oleosam esse, & propterea mi-
nus dulci pannis maculas elueré, minime-
que plantas nutrīre, imò verò eas necare
disputat.

Cur autem dubites, cera ne liquecat in
aqua? Occasionem certè nullam video, cū
quotidiana experiētia doceat, ceram pan-
nis adhærentem nulla aqua, sed solo ignis
calore tolli: Habes nunc quæ pro tuis du-
biis enodandis respondenda sūm arbitra-
tus. In iis si satisfecero, operam me nō pe-
nititus perdidisse putabo. Sin minus, id &
ingenii mei infirmitati, & rerum naturali-
um obscuritati, non autem voluntati, quæ
semper in te propensa erit, tributum iri
spero. Vale, meque, ut facis, ama. Dab.

Patauii, 20 Decembr.

1583.

Hiero-

Hieronymus Mercurialis D. Petro
Monavio S.P.

Binas uno die à te accepi epistolas, in quibus cū antiquis novas junxeris disputationes, eo libentius inter multas quibus assiduè premor occupationes, iis responderem aggreder, quod præclara illa ingenii vis, quæ in cunctis tuis valde elucet, nec non singularis eruditio, atque eloquentia me ita acriter incendunt, ut tibi responderem in maximis studiorum atque negotiorum meorum partibus esse putem. Illud autem in primis te haud nescire opto, quas nuperrimè vidisti de venenis, & puerorū morbis editas meditationes, ex iis esse, quæ è cathedra nobis, velut oestro quodam percitis emissa celeri, ac non ita prudenti auditorum manu excipiuntur, ut si quandoque aliqua minus elaborata, & firma eructentur, candido & ingenuo lectori, nec ἀκριβειᾱ illam mathematicam expectandi, neque protinus obtrectandi, aut acerbius contradicendi occasionem præbere debeant, cùm plerunq; minime elimata, imò verò nō revisa ab ipsis profitentibus exeat. Scribis in tractatione pueriliū

ægritudinū, me eam non exigui momenti disputationē omisisse, utrum ipsissimē pueris, an nutricibus postulante necessitate purgantia sint exhibenda medicamenta, tibiq; videri potius, pueros ea sumere debere, secusq; à me constitutum, vel suppositum videri. Ego verò impulsus eo Hippocratis oraculo, quo in v i. de mor. vulg. tex. 35 dixit, Mulier, capra, elaterium, aut cucumerem sylvestrē edentes, pueris purgatio. Semper existimavi, multò tutius, per nutrices puellulos purgari, quām si ipsis quomodocunq; parata exhibeantur medicamenta. Nam præterquam quod Medicos ab Hippocrate doceri scribit eo loci Galenus, ut sic medeantur pueris, illa etiam ratio persuadere potest, quod etiā si nutrices corpora sana habentes usu purgantium offendī queant, attamen multò melius resistere injuriis pharmacorū possint quām infantes, nempe qui ob corporum invaliditatem multò minus medicamentorum naturę humanę adversantium vim sustinere possunt, succo vel substantia tota sumptorum, quām si corundem vis sola castigata, atque ut ita dicam dulcora-

ta,

ta, lacti alimento familiarissimo, & jucundissimo indita præbeatur.

Velles quoque in tractatione lumbicorum à me cōmemoratum esse id genus vermium, quod in jumentis plerunque, in vestratibus autem pueris nō rarò fieri conspicitur, quodq; ab Avenzoare, & à Nicolo Florentino inter alia vermium genera fuisse propositum nō ignoramus, cum scilicet in dorso vermis oritur, qui huc atque illuc perreptus carnesque exedens bruta & pueros macie consumit. Ego verò sicut ejuscemodi ægritudinem à diacūculo veteribus nuncupato, nostrisque in variis locationibus tractato, non parum differre puto, sic de ipsis, cum rarissimè, vel nunquam in homine videantur, vel si unquam in homine apparent, inter lumbricorum genera non recenseantur, ad eum qui ipsos docet, haud ita pertinere tractatio videtur, quin possit jure aliquo præteriri, quanquā nec ego profitear, me cuncta esse adeo cōplexum, ut aliis etiā eruditioribus aliquid addendi, aut magis excolendi locum non reliquerim. Transis posthæc ad librum de venenis, in quo te primum offendì scribis,

quod constituerim venenum esse in substantiæ, non autem, ut complures credunt, in qualitatis prædicamento: addisq; me interdum vim beneficā in corpore positam, esse venenū afferere, interdum definire esse mistum. ac propterea pugnantia dicere, quasi non idem sit, hominem esse animam in corpore positam, vel esse compositum ex animo & corpore. Sed quia hoc postremum luxuriantis ingenii argumentum est, ipso dimisso, ad id quod magis urges convertar, nimirum ut probem rationes quibus uteris ad probandum esse in prædicamento relationis venenum collocandum, adversus meam sententiam non tantum habere momēti, quin facile dilui queant: Nam ut hinc primum exordiar, ea dicuntur ad aliquid ex Aristole, quorum esse aliorum est, aut aliquid aliquo modo dicitur. Primo modo planè ad aliquid, nec alimentum nec venenū dicitur, sed secundo modo, prout scilicet ad aliquid seu respectu alicuius, nēpe hominis dicitur. Verum nec hoc pacto verè ad aliquid sunt, siquidem major pars venenorū æquè alia bruta atq; hominem interimit, & multa etiam alimenta

limenta sunt, non minus beluarum quam hominis. Sed concedamus esse ad aliquid venenum, quid prohibet unam & eandem rem diversimodè acceptam sub diversis prædicamentis collocari? Magnum & parvum in quantitatis & relationis. Morbus & sanitas in qualitatis & relationis prædicamentis ponuntur: haud secus etiam forma substantialis in duobus prædicamentis est, cum forma quilibet sit alicujus forma. Quare de veneno quoque dicere possumus, ut refertur ad hominem esse ad aliquid. Ut vero mixtum quoddam est esse propria forma, que est vis venefica. & subiecto, esse in prædicamento substatię. queadmodum compositum ex materia & forma, neque ipse unquam dicerem totum scorpionem aut totam viperam esse venenū, sed illius spirituositum corpus vi venefica formatū, quod totum communicatur: Hujus autem corpus salivosum similiter conflatum, & mortu communicabile.

Nunc deinceps, quod quarto loco que-
ris, an venena sint contagiosa, mea senten-
tia est, corpora, quod veneno interempta sint,
minime alia inficere posse. quod vis illa non

modo proprio subiecto jam exuta sit, verum etiam in cadavere extincta, ita ut si venenum integrum è corpore jam ab ipso necato extrahatur, atq; alteri cuidam præbeatur penitus inefficax, ulliq; alteri lededo sit factum ineptum, neque ab hac opinione me deflectit, quod in historiis Indicis habetur relatum, Cambajæ provinciæ regem veneno nutritum ita evasisse venenosum, ut etiam muscæ ipsius cutem exugentes veneno tactæ perierint, siqdem propriè id contagium, quod fit per cibi sumptionem, minimè appellandum puto, & venenum id regis in corpore vivente, nec dum sua potentia perfunctum erat. Porro venenū pestiferę tabi cur propriè & ipsum venenū, cùm cor petat, & statim perimat, non sit vocādum, rationem nullam video. et si inter hoc & alia, illud discrimen conspiciatur, quòd pestilentia ubi aëre infecto communicatur, verè contagiosa sit. Alia verò contagii veri sint expertia, etiam si interdum medio aëris vitam eximant.

Quod autem de Hippomane nugantur, jamdudum qui raro fallitur, esse fabulam docuit Aristoteles, sique philtra ullam

lam nocendi humanis corporibus suapte natura, non à cacodæmone communicatam habeant, eam minimè veneficum dicerem. quoniam cerebrum potius, quàm cor lacesſire', neq; præsentaneam necem afferre, sed ut cæteri pravi humores, atque ægritudines paulatim videntur consumere. Redis posthæc ad plumbi naturam jampridem tractatam, in qua vix tibi persuadere potes, quomodo plumbi aqueis & subtilioribus partib. sub dio in cinerem conversis, vis terrestris, & ponderosa magis fœle (quod ego dixi) exerat, quasi aqueæ partes magis debeat in halitus consumi, quàm ullo pacto in terrestrem substatiā converti. Hoc autem facilius, ni fallor, discere poteris, si partes illas non prorsus aqueas. Sed etiam alicujus, ut sic loquar, terrestreitatis participes esse cogites, ut quemadmodum humiditas viridiū lignorum cōbusta multò plures cineres, quàm sicca ligna deusta facit, quòd illa terrestris humiditas in cinerem vertatur. Sic humiditas plumbi tenuior aliarum partium respectu sub dio cinis evadat, ac propterea discluso aëre, qui levitatem addebat, pon-

dus paulò majus appareat.

De plumbeis caldariis, quoniam meam ad problema tuum responcionem minimè improbas, imò potius eam auctiorem, illustriorem, ornatioremque facis, & ingenii tui candorem, & eloquentiæ ubertatem, & eruditionis copiam etiam atque etiam laudo & amplector, nec ubi tanta claritas adsit, philosophicum puto, alia verba inutiliter adjungere. Itaque iis, quæ doctè scripsisti, omissis, ad posteriorem libenter transeo, in qua quoniam primum de liene disputas, quasi & ipse *a nippor* in sanguine fabricando jecinori sit, meamque ea in re sententiam audire optas, liberè dicam, ubi est tantus sapientum virorum ac tantorum seculorum cōsensus, me non facilè moveri, quod unus vel alter ingenii lascivia quadam dissentire videtur.

Nam & ipse Galli cuiusdam atque alterius scripta vidi, meaque in bibliotheca habeo. quibus & à te propositis argumentis, & plerisque aliis docere nituntur, hactenus & veteres, & recentiores fefeller, qui dixerint, lienis actionem esse sanguinem,

guinem, & jecur à ferculenta ac terrestri, melancholicaque substantia depurare, immò verò & ipsum non minus jecinore, sanguinis perfectionem absolvere, præsertimque pro sinistro cordis ventriculo eum parare. Sed speciosæ quidem sunt eorum rationes, quæ tamen paulò atten-
tius examinatae debita firmitate carere conspiciuntur. Ut enim verum est, fre-
quenter naturam communes corporis ministros, vel geminos facere, vel in me-
dio aliquo loco collocare, sic non ita sece
huic necessitati adstrinxit natura, quin a-
liquando ab hujuscemodi consuetudine diliceret, tunc præsertim, cum melioris
alicujus rei gratia id fecisse visa est. Quo-
modo enim natura potuisset duo ita va-
sta & toti corpori famulantia viscera in
medio subtus cor disponere? Quomodo
rursus non supervacanea fuisset, si plura
sanguini efficiendo instrumenta condi-
dissent? cui unum sufficere poterat, & debe-
bat: Quam rem cognoscens Aristoteles,
atque cordi cuncta præcipua tribuens,
satius duxit illud solum veram sanguini
officinam statuere, quam id muneras

pluribus impartiri: similitudinem aliquam genericam , aut etiam specificam habere posse structuram lienis cum jecinore non diffiteor , quoniam verò unaquæque peculiaris actio à proprietate partis efficiens nulli alteri communi proficiscitur , ut millies dixit Galenus, tantum abest, ejusdemodi proprietatem sanguificā eandem in utroque viscere esse, ut non minus terra à cœlo distet. Quæ, mi Monavi, quæso est ratio ea, lœsam sanguificationem atque via inde orta & quæ à liene ac jecinore oriri & propterea debere lienem esse partem sanguinis effectricem? Nam ut de hydrope loquar, quem scribit Galenus necessario produci refrigerato jecore, quis ignorat à liene tumente, & refrigerato insigniter quoque refrigerari jecur , & subinde cachexias, hydropses, aliaque hujusmodi vitia succedere? De venenis, medicamentis, & cibis præclarè, ut cuncta soles, dissesti. Veruntamen, quod proponis venena variis partibus insidiari , nec propterea unum cor omnia petere, jam puto me explicasse lib. i. c. ii. ubi eadem argumenta, atq; eandem difficultatem, quam tu, proposui,

posui, simulque, ni fallor, enodavi. Quare
jam tibi me aliqua saltem ex parte satisfe-
cisse spero: sin minus, voluntatem saltem
ex parte satisfecisse spero: sin minus, vo-
luntatem saltem meam probatā tibi iri cō-
fido. Vale. Patavii, die ultimo Martii 1584.

*Thomas Erastus D. Petri Monavio Me-
dico Cæsareo S. D.*

Tu verò Petre doctissime, & charissi-
me, sic flagitas responsum ad literas, quæ
26. Aug. inter cœnandum mihi sunt red-
ditæ, ac si de mea erga te optimavoluntate
tibi non cōstaret. Qui ante fui, nunc et-
iam sum, tui amantisimus, & tibi gratifi-
candi cupidissimus. Quo circa non debes
à me precibus contendere, quod à me ti-
bi curari præstativè posse arbitraris. Satis
erit mihi, si te cupere intelligam. Itaq;
ut petis, scrupulos tibi eximam, qui te ve-
xant. Facilius erit hoc mihi, cùm tu ipse
rationem viamq; aperias.

Ex libellis nostris hanc te hypothesin
excerpsisse ais, Metallica omnia in uni-
uersum, quovismodo parata, nec tutò nec
cōmodè intra corpus sumi. Non dixi ego,

T

metallica omnia noxia esse. An enim & sa-
lem inter metallica numerari non novi-
mus? Sed & chalchantum non adeò no-
xiū esse affirmavi pag. 139. l. de auro potu-
lento. Monui etiā plurimū malitia differre
inter se, tum metalla tum metallica. Hæc
hypothesis nostra est, metalla & his cognata,
Misy, Sery, Hydrargyrū, Stimmi, teme-
rè non esse devoranda, quovis modo sint
præparata, præsertim verò si ignis vi sint cō-
cinnata. Si libelli principiū attentè consi-
derasses, de metallis p̄cipuè me agere ani-
madvertisse. Nec ignoras, puto autores à
metallis metallica distinguere. Cùm de-
inde nobis das, nō ita nos alere metallica,
ut pro cibo quotidiano uti liceat, idē mox
nobis rursus eripis. An enim quod alere
non potest, corroborare, refocillare, in sta-
tu suo partes principes conservare potest?
Dico tibi hoc esse unū ḥk τῶν ἀδεωτῶν. Quot
modis corroborari, & instaurari vires pos-
sint, pag. 91. & deinceps expositum invenies:
Quæ si expendere voles, ultiro in
partes nostras descēdes. Iterū repeto, im-
possibile est, sine alitione talia effici, qualia
quintis metallorū essentiis, ac similib. ad-
scribi

scribi audis ab horum pharmacorū fabris.
Quare non rectē credis experientiam te
producere posse testem: Sed, inquies for-
tē, non alere quidem ciborum instar, at
nō nihil tamen alere. Ego verò nullo pacto
alere demonstravi, sed sincera esse phar-
maca probavi. Qui igitur constare osten-
des, in usu medico illa sāpe, quo ad has in-
tentiones, utiliter adhiberi, maximē in
animi deliquiis? Quid enim? an quę animo
defectos revocant, alere omnia possunt?
Ergo & frigidæ aspersio, & nasi cōpressio,
& pilorū evulsio, & auricularū vellicatio, &
oris ventriculi confricatio, & artuum con-
tortio, ligaturæq; alunt. Aliud est spiritus
evocare, qui ad cor cōfugerunt, atq; aliud
eosdem nutritre: Infundimus eis etiam yи-
num ad celerem spirituum perditorū in-
staurationē, sed id nutrit: At metallica nō
nō nutriunt. Non igitur, vini modo, juvāt.
Vis te tuomet gladio jugulem? Haud mul-
tò post ita scribis: Purgandi vires pleraque
obtinere, satis notum est. Item, neque
enim inficias iverim, quin venenata &
maligna aliqua qualitate participant: Si
vera hæc sunt, ut certè sunt, quomodo

colere, corroborare, refocillare dicis? aut
quî credemus animo defectis per se pro-
delle? Per accidens aliquando juvare, nil
fortè vetat: Sed rationes expédamus. sum-
mam mistionis perfectionem in auro præ-
fertim eluentem, ac gemmarum præstâ-
tiam lux & splendor ille præfulgidus satis
patefaciūt, spiritibusq; nostris lucidissimis
maximeq; temperatis cognatas esse. Ho-
rum ratione facile adducar, ut credam ob
illam sympathiam & symbolorum conve-
nientiam spiritus etiam conservare, auge-
re, ac velut ignavos ac deperditos specifi-
ca proprietate restituere. Aurum perfectè
mistum cōcedo, quando perfectè mistum
vocas, cuius partes humidæ ita sunt cum
ficcis temperatæ, ut alteræ ab alteris se-
jungi nequeant: Hæc perfectio, quid ad
temperationem corpororum nostrorum
attinet? Mistio perfecta alio modo dici-
tur, quæ ad plurimarum & præstantissima-
rum actionum usum requiritur. Hac per-
fectione metallis nihil imperfectius, ho-
minis corpore nihil perfectius in tota rerū
natura invenitur, de qua re pagina 46. &
deinceps multa differui. Reperi superiora
etiam

etiam hic possunt. Est enim impossibile, ut quæ alere non possunt, spiritus augeant ac deperditos restituant. Quare verba sunt inania: Specifica proprietas, per quam instaurantur spiritus, est proprietas temperamenti talis, cuius ratione alimentū aliquid est, ac fieri id potest, quod nos sumus: Quod cùm negatum sit metallis, nullum hic locum habet de occulta alia proprietate commentum ullum. Quid verò lux, & fulgor gemmarum ad spirituum alitionem? Fortè putas spiritus oculos habere, & etiam splendore ingestarum gemmarū voluptatē capere. At dico tibi, tritas gemmas omnem fulgorem amisisse. Si lux indicaret spirituū cùm lucidis rebus cognitionem, quām multa, quæ so te, forent eorum alimenta? Jam si venenata qualitatē participarunt, si tanta corpus violētia purgant, qui spiritus restituant, augeant, conservēt? In his quia nihil animadvertisisti firmitatis, ad alia transis. Si metallica pharmaca, inquis, repudias, quia corpus vehementer purgant (pleraq; purgare ultrò nobis concedis) nulla purgantia intra corpus sumi oportebit: Quod cùm sit absurdum,

istud tantum sequetur. Non cruda, & ita
ut è terra eruuntur, ingerenda esse. Sed
quemadmodū & reliqua purgatoria præ-
parata priùs, & aliis additis correcta: Non
sequitur. Si metallicis purgatoribus uten-
dum negem, ut etiam aliis interdicam.
An si prohibuero Ellebori usum, tibi vi-
debor etiam Rhabarbarum repudiare?
Quia nocentiora sunt metallica ignium
vi parata aliis purgatoriis, fugienda di-
cimus. At hæc respondebis: non minus
illis corrigi poterunt: Sit ita: Quæro ex
te, cur tot sumptibus & laboribus metal-
lica conqueriras usu non satis comproba-
ta, dum idem longè vilioribus, & multo
usu probatis obtinere potes? An non sum-
ma fuerit dementia, ignota, preciosa,
multo labore, & sudore comparata an-
teferre minus preciosis, notis, obviis, dum
non plus ex illis quam ex his commo-
di expectes? At validius agunt, inquies,
& in parva quantitate. Audio. Sed hoc
tibi repono, ob id esse nocentiora, quia
minima eorum quantitas plus exagitat
corpus, quam major aliorum quantitas.
Si aliis adiectis retundi virtutem eorum
dices,

dices, ut non magis infestent, rursum parum prudenter ignota pro notis eligi affirmabo, cum præsertim certus esse nequeas, utrum mali aliquid latenter corpori imprimant, majoreque precio veneant: Et cruda quidem corrigi posse haud nego. Ignium vi coccinata, an sic temperati queant, vehementer ambigo: Dixi alias crudi antimonii drachmā minus movere, quatuor vel quinque granis præparati: Veteres quoque nonnunquam purgationis causa metallica propinarūt, chemico artificio ignium maximorum vi appara-
rata nulli unquā exhibuerunt: Auget, non minuit corū malitiā præparatio per ignes. Hoc tu negas: quibus id rationibus fretus neges, videamus. Multæ res sunt, quæ cum antea crudæ & inæptæ forent, ignis postea beneficio coctæ aptæ efficiuntur ad corpus alendū. Testantur id carnes in primis assæ, in quib⁹ nemo *μυπύρεμα* refugit. Si toto genere hæc differre dicas, vel unā ceruſſam tibi proferam, quam & refrigerare & ideo repellere, emplasticamq; esse, ipsa evidētia experiētiæ testatur. Cur hic *μυπύρεμα* non urgēmus cū tamen à plumbo usto

aut parum aut nihil differat? Plurima etiā ex metallis vi ignis liquatis, & puris ab impuris partibus secretis comparantur pharmaca, ut olea, liquores, vocati spiritus, quæ ad refrigerandum & humectandum intra & extra corpus utiliter exhibentur, ut liquor vitreoli, & oleum sulphuris, in quibus gustu etiam ipso nulla acredo deprehenditur. Taceo nunc aquas destillatas. Ad hæc ita respondeo. Nunquam ego dixi, omnia ab igne cocta, vel usta ἐμπύρευμα noxiū acquirere, Imò ex Galeni & Diosc. autoritate, ut ipsam rerum inspectionem mittam, rem aliter habere ostendi pagina 134. Rectè igitur tu toto genere differre dicas cibos, & metalla. Cæterū cur metalla ἐμπύρευμα noxiū retineat, pag. 112. abude exposui. Cerussæ exemplum, quæ res est facticia, & absq; igni omni paratur, tandem ad rem facit. Si te sandycem intellexisse dicas, hæc ex cerussa leviter usta fieri respondeo. Differt autem à pumbo usto plurimum cerussa, cùm illud manifestè calidum, hæc frigida sit. Sed cui tu persuadebis, liquorem seu oleum calchanti ac sulphuris ἐμπύρευμα nullū obtinere? Gustus,

stus, inquis, a credinem nō sentit: Ferreus est ergo gustatus tuus, si mordicationē nō deprehendit. Admove guttam integrā linguæ aut gingivis, aut carnī cute nudatæ, & utrum erodant videbis. Non omnia, quæ gustus non percipit calida, vel frida, talia non sunt: Sæpe enim sapor unus obfuscat alium, ut non sentiatur, tametsi plurimus adsit, ut in opio amaritas saporem tegit refrigerantium partium. Ita parum vini rubri vini albi multò copiosioris colorem obtundit, ut non videatur. Quoties operatio seu effectus adest caloris, nemo calorem adesse dubitat, modo ab accidente nullo fallamur. Deinde lingua laxa cùm sit, citò penetrant per eam tantopere extenuata, ut minus eorum actio hic, quā in densiori parte animadvertisatur.

Miror verò, quorsum dicas, te non concedere, quæ in dura corpora sœviunt, mollioribus magis esse infesta. Ego namq; fusè docui satis, maximè calida, si exquisitè sint extenuata propter celerem penetrationē minus laxis, quām densis corporibus nocere pag. 114. Sed & Gal. hac de re multa cùm alibi, tum ubi rubificantia, vesicato-

ria & escharotica distinguit : per accidens
hoc sit, quia non inhærent. Si æquè diu in
his atque in illis inhærerent, dubio procul
plùs nocerent molibus, quàm duris. Quæ
igitur de lanarum saccis contra tormento-
rum ictus protensis affers, contra nos non
faciunt : Aquam fortè ferrū corrodentem
dicis sine noxa manu cava excipi. Si vel
tertia temporis parte, quo ferrum erodit,
in manu serves, senties quid possit : Vidi
inseri in dentem cavum, ut leniter saltem
gingiva attingeretur, quosque mox cru-
ciatus cùm carnis exesione gigneret, iti-
dem vidi, ac memini. Hoc exemplum
aliàs magis quadrat, quàm id quod de la-
narum saccis adfers, quia non de impulsu
violentu, sed alteratione violenta dispu-
ramus. Quod ad extrellum metallica
(de aliquibus non pugno, sed de metallis
& cognatis quibusdam disputo) scribis, nō
prorsus numero eorum, quæ intra corpus
assumuntur, eximenda esse. si in eorum
usu tria hæc obseruentur, ut rectè præpa-
rentur, aliis additis aptè corrigantrur. de-
niq; debita quātitate exhibeantur, satis est
declaratū. Metalla enim sic præparari non
pos-

possunt ignibus, ut non semper noceant. Quia verò & nocētibus aliquando uti cogimur, non dico, ea nunquam usurpanda, sed cùm aliter ægrum sanitati restituere non possumus, minus malum majore permutandum aliquando fuerit. De hac re pagina 106. 118. 122. 141. egi.

Habes responsum ad omnia tua breve & longum simul. Breve est si hanc chartam intuearis. Longum satis erit, si loca citata examinare attenteque releggere velis. Citavi ob id ipsum, ut labore te levarem inquirendi, & ipse mihi consulerem, cùm pr̄sertim occupationes fusiorem responsum instituere non paterentur: Dominus Iesus tibi benedic Amen. Die 27. Augusti, Anno 1578.

*Thomas Erastus D. Petro Mona-
vio Sal. D.*

Literas tuas, quas 4. Decemb. dedisti, e-
jusdē mensis die 17. hic accepi, & diligēter
perlegi: Probo autem mirificè studium
tuum in inquirēda veritate, qua sanè char-
rius esse nobis nihil debet: Ut enim usum

nullum haberet, quem habet in cunctis rebus summum, tamen seipsa dignum foret, cuius causa omnia toleraremus. Rectè igitur facis tu, quod non statim assensum præbes omnibus, sed priùs apud te expendi ne incitatè aliquid probes. Ad illa quæ in his literis objicis, breviter quidem, attamen perspicuè, respondere tentabo. De Gemmarum viribus non indectos dubitare inquis, magnas & admirabiles inesse gemmis vires existimasse, qui tamen alias abditis illis proprietatibus tribuunt plurimum: Idem ipse quoq; omnibus temporibus animadverti, illos solos (de doctis loquor) ita statuisse, qui perpetuò latentes potestates reparent: Sed fatis non est, doctum esse nisi quis hac ipsa in re, de qua questio est, doctus sit. Fieri certè potest, ut excellentibus viris & præcipuis in partibus artis nostræ exercitatissimis nunquam in mentem venerit, de hujus rei veritate inquirere. Solent enim pleriq; fidem habere illis, qui se periculum fecisse affirmant, quasi non & se & alios fallere potuerint: In horum ordine ipse quoq; permanisset, si non observavissim omnes ferè, qui talia præ-

præcipuè nobis commendarunt superstitionissimos, aliisq; vanis artibus deditos fuisse; Credat, qui vult, gemmas mirabilia efficere, mihi qui & ratione & experientia didici aliter rem habere, nullus facilè persuadebit, falsum esse verum. Chalchanti liquorem, ut & ipsum Calchantum minore periculo usurpari posse in ipso libello fassus sum. Nec ego incertis casibus, ubi nihil videatur obstare posse, vereor eo, rebus aliis cōvenienter temperato uti. Quid verò de pharmacopœo dicam, equidem non habeo aliud, quām nescire me utrum contuleris ægris, an non contulerit. Suspicor enim, si utilitatem attulit, aliis rebus, distributionis, aut deductionis aliorū gratia potius miscuisse, quām sanationis. Vix enim arbitror quenquam crediturum, insita sua natura vas ruptum sanare ipsum posse. Hoc certè comperi, omnes pulmonis ulcere quamvis obscuro laborantes (sunt enim aliqui ad eas aquas ablegati à medicis, de quibus dubitabatur, an ulceratos pulmones haberent) qui aquas calchandum continentib[us] biberunt, celerem sibi mortem accersivisse. Quod nisi in di-

uersis saepe evenisse viderem, asseverare atque
pud te non vellem. Venerunt enim deinde ad me consilium petentes (& hoc ipso
anno adhuc duo robusti iuvenes) cum consilio locus non supereret. Quae ideo referto,
ut me diligenter omnes circumstantias ex-
aminavisse intelligas. Ego pharmacopœum
facultate hujus liquoris ulcera hec tum sa-
navisse credam, ubi rem certius cognovero,
& quibus præterea sit usus una cum cir-
cumstantiis: Qui sapit temere non credit illis
jactatoribus, quoties ea exhibent, quæ no-
cere possunt. Audivi sexcenties medica-
mentum quoddam Elidæi Medici Bononiensis ad cœlum tollere, quasi sputum
sanguinis admirabili efficacia curaret. Sed
multis ab ipso frustra exhibitum partimvi-
di, partim scio, sicut ne ipse quidem fructu
ex eo deprehendi. Usus enim saepius sum,
quod periculosum non sit, & ratione ha-
beat suffragantem, saepenumero ubi multa
sunt adhibita, quæ simul affectu percura-
runt, laus tota uni perperam adscribitur.

De aqua forti nihil dicam, cum nemini
sperem adeò insanire, qui eam bibē-
dam, aut deglutiendam consulat.

Dc

De metallorū trāsmutatione si disputatē hīc velim, actū egero. Priusq; am enim mihi persuadeatur, hanc artem esseveram, cōfutari oportet omnes rationes meas, vel aliis melioribus vel ipso facto. Hoc autem aliquot jam seculis à multis millibus fruſtra tentatum est, nec cuiquam impunē fuit. Omnes enim si non sanitatis, auri tamē jacturam fecerunt, pars maxima ad ad egestatem est redacta. Noli putare mi D. Petre nō posse me veris rationibus refellere falsam artē, quam nō exercuerim. Quid enim an & magiam me exercuisse & didicisse oportet, si refutare eam rectē velim? Non arbitror: At ratio similis est artium omnium. Quomodo etiam à me postules, ut præstem quod ratio fieri non posse docet, ac nullus unquam præstare potuit? Non versatus es, inquis, ἀτέχειρας τῆχμαν, quę arcana plurima prodit. Fateor: Sed nec reprahēdi ego unquam chemiā, quatenus & dūwā & persequitur, sed laudo eam, & celebro. Quatenus transmutationem viliorum metallorum in aurū argentumq; pmittit, & dūwā tentat, hactenus candem damno. Nec oportet me ar-

bitor priùs impossibilia conari facere, quā conantem bonis & veris argumentis deterram: Possumus enim scire de multis rebus, quòd effici humanis viribus nequeant, licet ipsi nunquam facere aggressi fuerimus. Cur igitur non possum scire utrum concessa hominibus sit facultas, species rerum transmutandi. Ars ajunt, nō habet hostem, nisi ignorantem. Hoc cùm de veris & utilibus artibus dicitur, probrosum est. cùm de falsis, impiis, superstitionis, noxiis, laudem meretur, qui eas damnat & confutat, priusquam didicerit.

Ιδιοσυγκρασίας, quæ in certis duntaxat individuis reperiuntur, tertii cuiusdā ordinis esse cùm dicis, vix quid velis intelligo. Cùm enim tales proprietates formæ *ἰδεῖας* tribui nequeant, (quippe in omnibus speciei individuis inveniuntur, si propter formam substancialē inessent) cui alii rei seu materiæ qualitatibus acceptas feremus. Proprietates formæ *ἰδεῖας* usum vix habere in medendo cogitatè scripsi, nec video, cur mē pœnitere debeat. Ex hoc, inquis, sequetur, ferè nos sola usurpare, quæ formis suis orbata sunt: Quo concessio alter-

terutrum horum absurdorum colligis, aut nullis formis medicamenta illa predicta esse, aut, quod esse creduntur, non esse revera. Respondeo. Prius nullo modo sequi. An enim quod hac certa forma privatum est, omni forma spoliatum esse oportet? Alterum recte sequi dicis, si modo recte intelligis. Etsi enim Rhabarbarum nominatur radix arida, rhabarbarum tamen verè non est, sed rhabarbari cadaver. Tum verè est rhabarbarum, cum terræ adhuc in fixum ejus ad se succum quo nutritur, & vivit, attrahit. quod tibi absurdum videtur. An tu es oblitus opere & potentia talia omnia definiri. Aristoteles. 4. Meteor. ultimo hec habet: τὰ δὲ οὐδὲ μείνεται ποιεῖν τὸ αὐτόν ἐργον ἀληθῶς οὐτεν ἔκαστα, οὐδὲ οἰφραλμός, εἰ ὅρχ. τὸ δὲ μηδὲ μείνενον, ὄμοιονύμος, οὐδὲ τεστρωτός, οὐδὲ λιθινός. καὶ δὲ οὐδὲ πορίαν οὐδύλινος ἀλλαττέεινάν. Addā quia 2. gen. ani. 2. scripsit. οὐδὲ οὐδὲ περίστατον μη ἔχον δυχλιώδεις οὐδὲ, ἀλλὰ φθαρέν παρόμοιονύμος λεχθήσεωσι. τὸ δὲ οὐδὲ περίστατον, ποτὲ οὐδὲ ποτὲ κανεὶς ἐγίγνετο ξύλινα οὐδὲ λιθινα. Ab hac sententia non dissentit Galenus. Nam 1. de Pla. Hipp. & Plat. 8. de Aristotele loquens ait: Ipse est qui nos docuit, ut ad operationem & usum uniuscuiusq; instrumenti, non ad fabricam despiciamus. cum quænam sit ejus essentia, scire volu-

mus. Idem repetivit in fine l. 2. jam dicta repetens. ἐπ' αὐτῷ οὐδὲ Εἰ πότε Αειστέλοις λίγη μάνα, οὐδὲ
 ἔχει τὸ πλευτὸν τὸν τραγὸν βίστια διῆγον: Addo hæc,
 ut quæ de primo libro Latinè extat, genui-
 na esse videas. Quod nam hoc est λίγη μάνα: οὐ
 τραγούς τινας κρίνεται τὸν εἰ τοῖς ὄργανοις ἐπερόπτητα Εἰ τοῦτο
 τοὺς ἀνεργούς, Εἴ τι χρείας αὐτῷ. Si ergo nō amplius
 nutritur ac vivit arida radix, ὁμονύμως Rha-
 barbarum dici quis inficiabatur? Ac de vi-
 ribus novis, quæ unā cum forma nova ac-
 cesserunt, idē quæremus? Frustra hic quæ-
 res. Non enim accessit vis purgādi à forma
 cadaveris, ut sic nominem, sed prius inerat
 ut in lib. de occultis pharmaci potestatib.
 ostendi. Hinc insolubili argumento pro-
 bavi, purgatricē ejus vim ad materiæ qua-
 litates pertinere, nō ad formā. Quæ namq;
 virtus in aliqua materia inhæret, q; multas
 diversas formas sibi invicem succedentes
 recepit, nō potest ullius esse ex his propria
 qualitas. Si enim unius esset, ea abolita, ipsa
 quoq; extincta fuisset. Video te non obser-
 vasse hæc, quæ tamen verbosè ibi tractavi.

Quæris, num in anima carentibus tem-
 peries formæ vicem suppleat: Respondeo.
 Non supplere, si de forma substantiali in-
 telligas. Quid verò in animatis, inquies, tē-
 peries?

peries? Cui annumeranda? Formæne? Ita duæ erunt formæ unius rei simplicis, substantialis una, accidentalis altera. Ergo ne materiæ? Atqui de hujus ratione est non agere sed pati: hæc tuæ sunt: Ego non tantum non judico absurdum esse in rebus Physicis seu materiatis duas formas pone-re, substantialem unam & accidentalem alteram, sed necessarium esse ajo, non unam tantum, sed plures accidentales ponere. Quippe formæ ~~in~~ Physicæ nihil agunt sine instrumento corporeo, & ~~in~~ quia non sunt actu efficaces, sed potentia, respectu actus secundi. Pro diversitate ergo temperamētorum diversas edit forma substantialis actiones. Idem hoc ipse tu cùm affirmes his verbis (qualitates verò, ex quibus temperies constat, omnes uno ore Philosophi fatentur, actionem esse causam proximā & per illas substantialias efficaces esse) nihil opus est, ut plura dicam. Posthæc pro morborum totius substantiæ assertione hoc affers argumentum: Reperitur in cōpositis tertium quidam præter materiā & formam, sc. forma totius, in quo fortasse horum morborum

autores sedem ipsis cōstituunt: Est autem forma hæc totius alia. non tamen ab ipso met composite, sed à forma partis, quæ u-nà cum materia cōpositum constituit: cōpositum sit homo. Forma partis hic erit anima, cùm corporis temperie totum cōstituēs: at totius forma, erit ipsa humanitas: Ad hæc ita respondeo: certum est per materiam & formam tertium esse in toto naturali, seu in composito. De substantiis si loquamur, dubitabit nemo eorū, qui principium l. 2. de anima attentè perlegerit & intellexerit. Manifestè ibi distinguit compositum à materia, & forma. In composite, seu uno accidentalí æquè clarū est. Habes igitur me tibi consentientem hac quidem in parte. Cùm deinde exēplo hominis declaras tuam sententiam, quatuor videris res ponere, compositum, hominem, animam seu formam partis. Tertiò materiam congruenter temperatam. Postremò formam totius, nempe humanitatē. Quæro primū quid differat ab homine humanitas? Deinde cur à composito nimirū homine, tanq̄ partem quartam ponas, cùm Aristoteles tria tantū in substantia tali agnoscat?

gnoscat? Materia enim cuiusq; rei propria
~~accidens~~, & ultima non potest sine peculiari
 temperatione materiæ nomen retinere.
 Haud dices, puto, quartum hoc, materi-
 am cum forma unire, atq; unitis jam idem
 ipsi composito supervenire, tanquam ulti-
 ma & perfecta forma. Quippe, qđ ex ma-
 teria & forma coaluit, ~~τοσασιν~~ & ~~τοσαμενον~~
 & ~~νόςτη~~ οἱ Græci vocant, Latini barbari sup-
 positum, aliquando individuum & subsistēs
 nomināt. nec alio aliquo egere putāt: Sūt
 enim hoc modo composita primæ substā-
 tiæ seipsis subsistentes. Huc Aristotel. ver-
 ba pertinent 2 De anima I. οὐ δὲ ζητεῖν, εἰ
 ἐν τῷ φυσικῷ τῷ σώμα τὸ εὔδη τὸν κηρὸν @ τὸ γόμα τὸν ὄλων
 τὸν ἐκάστου ὑπλω, @ τὸ θύλην. Nulla ergo natura seu
 substātia in homine præter materiam, for-
 matam, & compositū, quod est homo. Quid
 ergo inquies, de humanitate dicemus? Nū
 ab homine non differt? Differt certè, sed
 non tanquam natura, seu substantia, quæ-
 dam quarta: sic ergo differunt, ut caro &
~~τὸ~~ hominis, hoc est, perfecta hominis de-
 finitio ab omni cōcretione materiæ, & pa-
 tibilitatis secreta in mente nostra confi-
 stens. Homo enim mortalis & patibilis est,

non humanitas, quæ est intellectus nostri
vōnua, omnis materiæ contagionis & muta-
bilitatis expers, ac velut idea quædam ho-
minis. In ipso autem homine non est ab
homine alia natura distincta, per quam
homo vel agat, vel patiatur aliquid aliud,
quam agere ac pati possit, quatenus ho-
mo est: Sed ponamus re ipsa aliud esse ali-
quid ab homine, formam scilicet totius, ut
appellas: Quid hinc concludes? Morbos,
zis, totius substantiæ videntur horum in-
ventores in hac natura posuisse. Quæro i-
gitur, utrum natura hæc quarta, substan-
tia sit an accidens: Si accidens statuatur,
vel erit totum secundum ipsum per se al-
terabile, vel non: Si prius detur, non fue-
rit forma seu terminus generationis, sed
indefinita qualitas, nempe patibilis, quod
est absurdissimum. Si secundum ipsum
mutabile corpus esse negetur, non poterit
morbos suscipere, nisi qualitatibus muta-
tis ipsum quoque mutetur. Redibimus i-
gitur ad principium: sed frustra hic hæreo,
cùm fieri non potest ut substantiæ forma
sit accidens. Quod si ergo substantia est,
nihil habet contrarium. Ergo ~~ad~~ ^{sicut} ani-
mæ

mæ instar nihil patitur: Nullū ergo per se morborū est subiectum. Corpus ergo primò læditur, quod tu quoque concedis. Ergo morbus quilibet primò & per se corporis affectus est. Secundò & per accidens vel animæ, vel humanitatis, quatenus scilicet cum corpore ita malè affecto amplius confistere, ipsumq; informare non possunt. Idem nos dicimus. Nihil igitur inter nos relinquitur controversum. Imò verò plurimum ait: Quoniam pestilētes & contagio venenato inficiētes humores aut vapores, et si in corpus primum invadunt, non tamen secundum simplicem duntat temperiem, sed ita, ut totum destruat: Concedo hæc omnia, sed quid eis efficias, nondum certò video. Pestilentes humores vel corporis temperieni lædunt, vel unitatem, vel instrumentorum conformatiōnem. Nisi horū aliquid lædant, morbos nullos creabunt. sed de primo genere, intemperie scilicet (reliquia duo morborum genera huc non pertinent) agamus. An possit corporis natura destrui temperamento integro remanente? Tu affirmabis, si propositum tueri voles, ego negabo.

Ut forma aliqua sit in materia, necessarium est, ut materia perfectā habeat *suāp̄m*, seu perfectè sit disposita. Non enim forma quælibet in subiecto ceu materia qualibet, sed in propria tantū riteque disposita inest, nisi cœlū terræ miscere velimus, & humanam animam in materia asini, fabæ, milii, inhabitare posse opinemur? Quæ verò est ista dispositio materiæ alia, q̄ conveniens temperamentum? Hoc dum adest, congruenter, dum abest incongruenter disposita est, & dicitur materia. At impossibile est materiam perfectè dispositam, non informari à forma, pro qua suscipienda & retinenda aptè, sufficienter preparata est. Neq; suam et̄ descrere materiā forma ulla potest, quantis per pro ejus permansione rectè temperata est materia. Ergo cum substantiis, & formis per se, & primò nihil sit contrarium, & actio omnis fiat à contrario, à nullis morbis primò & per se ledī, vel destrui possunt. Quare temperationem primo corrumpunt necessario, quæ corpus destruunt: sed nec temperationi quando consideratur tit habitus, seu motionis terminus, aliquid per se & pri-

& primo contrarium est. Corpora enim ratione habituum quiescunt, non moventur, aut mobilia sunt, ut demonstratur 7. Physic. 3. Tunc igitur solum mutatur corpus, quando qualitates patibiles primè scilicet moventur, seu patiuntur. Quocirca corporis temperationem per se sola illa corrumpunt, quæ calefacere, frigefacere possunt: pestilentes igitur humores aut halitus, nisi dividendo continuum corpus destruant, calefaciendo aut frigefaciendo corrumpunt. Quod enim primò & per se non invehant morbos instrumentales, confessum esse arbitror. Aliter enim temperamentum labefactare per se nequeunt. At hoc integro perdurante corpus interire aut dissolvi non posse, certum est. Frustra igitur in quarta illa natura, si ponatur, substantiæ aliquid esse, finguntur morbi primo inhærere. Hic non incommodè repetivero, quod antea dixi, formas substanciales physicas absque instrumento corporeo nihil agere. Est ergo proxima actionis causa organum, seu pars corporea. Quare vel morbus non per se primò seu proximè lœdit actiones, vel est hu-

jus partis seu instrumēti proprius affectus. Quod si organi propria est dispositio, non poterit proprius formæ affectus censer. Quid igitur profit commentum de totius forma, si quām maximè verum esset? Non enim humanitas, sed homo morbis afficitur, nec paritur à morbis anima, sed corpus. Patet igitur frustra hujusmodi fingi ad stabiliendos morbos substatię totius, quos natura prorsus nescit cum tota vetustate. Est enim recens figmentum, à Fernelio primū, ut arbitror, excogitatum. Videatur autem è chimia pullulare primum ce-
pisse.

Quod ultimo loco quæris nequaquam facile est explicatu. Multos enim torsit quæstio hæc Medicos, dum alii medium inter sanitatem & morbum dari concesserunt, alii cum Aristotele negarunt, ut se facilius extricarent plerique, dari dixerunt, si sensus arbitri ponantur, non dari, si rationi judicium permittatur. Quod ut in hac sola quæstione tolerari possit, non tam tuæ interrogationi satisfacit, qui generaliter quæris, Cur contrariorum alia *έμεια*, alia *ίμεια* statuantur. Eadem quæstio mota

mota olim & ab aliis fuit: Movit eos hæc potissimum ratio, quod viderent ab extre-
mo uno ad alterum transitum fieri nō pos-
se, nisi per medium eatur: Ergo, inquiunt,
cùm motus omnis ex cōtrario fiat in con-
trarium, qui poterit inter aliquam contra-
rietatem medium negari: Omnia igitur
sunt ἔργα της περιπτέρεως. Tua ratio, etsi cùm hac coinci-
dit, tamen alia est. Sic enim colligis, Con-
traria sunt ὁμοία της περιπτέρεως, quæ cùm sint
sub eodem genere extremè sibi opposita
medium habeant necesse est. sive nomen
habeat, sive ὀνόματος sit. Distinguūt alii me-
diū in id quod transitus vocant. & id quod
formæ nominant. Illud esse dicunt, quod
magis & minus infinita serie recipiatur, ut
est medium inter calidum & frigidū. Hoc
esse affirmant, quod certam speciem unā,
vel plures habet interjectas, ut inter albū
& nigrum, interponuntur rubrum, palli-
dum, lividum, cæruleum. Hæ species non
secundum magis & minus tantùm diffe-
runt, sicut major vel minor caliditas, sed
definitæ sunt species: Hujus generis con-
traria non habent medium trāitus, inqui-
unt: Nō enim necessarium est, ut quando

nigrum album fit, per omnes species trāſeat: Alterius generis $\alpha\mu\epsilon\sigma\alpha$ vocari ajunt, q̄ definito medio careant: quæ cùm dimidium tantùm quæſtionis solvant, & non re-ctè tamen solvant, pro nulla responsione jure optimo habebimus. Aliter igitur ex-plicabimus: Contrariorum, quæ acciden-tia sunt, (sunt enim & substantiarum diffe-rentiæ, per quas genera dividuntur, cōtra-riæ, & quod ejusmodi contraria sint $\alpha\mu\epsilon\sigma\alpha$, caret omni controversia, ut arbitror) duo sunt modi, seu genera, quoniā corpus sub-jectum propter aliqua est per se mobile seu mutabile, propter aliqua quiescit. Et quæ extrema sunt, vel fines motionum, id est, secundum quæ corpus non mutatur, sed à motu quiescit, magis & minus re-spuunt, nec motui obnoxia per se sunt. Ad hoc genus pertinent omnes habitus, rela-tiones & figuræ. ad ea quorum causa sub-jectum est mobile magis & minus recipiunt, & ob id $\iota\mu\mu\sigma\alpha$ sunt & dicuntur, sic-ut altera propter causam contrariam $\alpha\mu\epsilon\sigma\alpha$ noscuntur: Quomodo enim fieri potest, ut quæ magis & minus non recipiunt, hæc ex dimidio sint talia vel talia? Non reci-pere

pere autem habitus & terminos motuum magis & minus, & per se notum est, & 7. Phys. 3. demonstratur. Non enim habitus causa fieri aut perfici, sed facta vel perfecta res quævis dicitur. Sanitas igitur & morbus contraria sunt ἀντεστάτα, cùm secundum hos habitus non moveatur sed motum sit: Terminant enim motum. At calidum & frigidum cōtraria sunt ἀντεστάτα, quia secundum ipsa movetur corpus, non autem motum est: Recipiunt hæc magis & minus, cùm calidum possit fieri minus calidum, & similiter frigidum. Quare poterit idem medio modo habere. In talibus medium est cum extremis ὑποθέσις, & consistit in qualitatibus patibilibus, secundum quas corpus primò & per se est alterabile. In habitibus contrariis medium est ἐπεργατής, quod omnes intelligunt, qui inter motum & formam per eum acquisitam distinguere norunt: Nullum enim genus idem est motus & habitus per eundem acquisiti. Nec possunt extremi habitus componi aut misceri, ut ex illis medium quidam generetur utriusque extremi particeps. In his igitur medium transitus gene-

re differt ab extremis, & proinde medium
ίμερον non est: Quare non est necessari-
um, ut quando contrarium permutatur in
contrarium transitus perpetuò fiat per
medium ejusdem generis. Ita prior solvi-
tur ratio. De qua non est cur multa dicam.
Contraria, inquis, sunt οὐκ η. scio. Sed &
hoc alterum scio. Aristotelem negare o-
mnibus in genere relationis contentis ac-
cidere medium. Nec contraria sunt o-
mnia, nec recipiunt magis & minus rela-
tiones, ut in prædicamentis & loco supra-
citato docuit Philosophus. Non ergo se-
quitur contraria referuntur, ergo habent
medium, cum sint extrema quædam. Hoē
enim solis illis accidit, quæ magis & minus
recipiunt. Contrarium sufficit contrario
suo contrarium esse, non oportet medio
contrarium esse. Satis de hac re dictum, si
Medicos inter sanitatem & morbum me-
dium ponentes duobus verbis excusaue-
rō. Medici artifices sunt, & ob id circa sin-
gularia versantur, qui cum certam in ma-
teriam introducere formam velint, ne-
cessario materiae nobilitatem, seu habili-
tatem.

ratem præcipue considerant: Hæc habilitas corporum cum gradus sive magis & minus suscipiat (est enim per se indefinita) qui sine habitibus definiri non possunt, morbum & sanitatem non contemplantur, ut formas à materia secretas, aut motionum fines, sed considerant eas, quatenus in materia inhærent, & cum habilitate junctæ sunt: Per accidens igitur recipiunt magis & minus, itaque medium habere dicuntur, quatenus scilicet in corpore insunt, quod sanitatis habitu amplius perfici, aut habitu morbi gravius lœdi potest. Non neſciunt aliàs, corpus nostrum non perfici, quatenus perfectū jam est, sed quatenus perfici amplius potest. At habitus ratione res nulla perfici potest, sed perfecta jam est: non igitur habitus ratione movetur res ulla. Inter habitus ergo cōtrarios mediū seu gradus nulli sunt: Quoniam vero accidit habitui, ut subjectum habile sit amplius perfici, eatenus habitibus gradus, qui eis tamen accident, ascribunt artifices, qui hasce res tanta accuratione minime distingunt. Si non clare satis exposui,

admoneto me, & si potero dilucidius, & fusius declarabo. Vale. Dab. circa initium Januarii anni hujus 79. quem tibi tuisque omnibus quam felicissimum ex toto corde precor. Saluta dominum Doctorem Joh. Hermannum, & si quid Pandora illa recens fabricata agat nosti, de eo me certiorem facito.

*Thomas Erastus D. Petro Mona-
vio S.P.D.*

Literas tuas postremas, vir ornatissime, ante menses ferè duos accepi, sed ad eas nondum respondi, partim negotiis impeditus, partim tabellariorum inopia prohibitus. Abfui enim per mensem in thermis. quem ad locum nullus venit: Jam igitur respondebo. Chemiam me non simpliciter damnare. sed magnis laudibus tollere. si utilia, & quæ fieri possunt, conetur facere, satis intellexisti.

Ιδιοσύκρασίας à peculiari temperamento provenire, itidem perspexisti. Itaque hoc solum addam. non esse temperamenta hæc extra humanæ temperationis latitudinem posita. Plane sunt infinita hæc in-
divi-

dividuorum temperamenta , unde fit ,
 ut tanta sit ingeniorum , naturarum &
 morum diversitas . Singuli enim ferè ali-
 quid proprii habent , ac raro fit , ut duo ali-
 qui eisdem rebus delectentur , quippe qui-
 bus alius gaudet , alius aversatur . Verum
 nos illas notare duntaxat solemus , quæ in
 frequentius accidunt & à communi natu-
 ra plurimum recesserunt . A philosopho-
 rum sententia me discessionem facere , &
 ad medicos transfire non bene opinaris ,
 quando res quaslibet opere & potētia de-
 finiendas esse scripsi . An non enim testi-
 moniis apertis Aristotelis hoc ipsum com-
 probavi ? Quæ si non satis clara videntur
 tibi , lege principium in lib . Oeconomic .
 ubi hæc verba reperies : ἐδὲ ἔκαστον οὐδεὶς καὶ γένους
 τοι οὐδεὶς αὐτὸν πυγμάχειν δέ . Primo item Polit . 2 .
 μάλιστρῷ τῷ ἐργῷ ὁ ερεσικαὶ τῇ συνώμῳ ὥστε μηδέποτε αὐτῷ
 οὐδεὶς λεκτέον ταῦτα ἔχει , αλλὰ ὅμωνυμον . Pertinent
 hoc etiam quæ in 2 . de cœlo & mund o . 3 .
 scripsit : ἔκαστον οὐδεὶς ὁν ἐργον οὐδεῖν ἔνεκεν τὸν ἐργον . Evidē-
 ter ut arbitror , probavi cum Aristotele me
 locutum quando tibi respondens scripsi ,
 Rhabarbarum in officinis non esse verum
 Rhabarbarum , quia opus , cuius causa à

natura factum est , facere amplius non possit , sed Rhabarbari veri cadaver : E quidem sicca radix , quæ vitæ operatio- nes exercere nequit , non magis est ve- rum Rhabarbarū , quām manus hominis amputata manusest . Quippe ὡμονόμως manus aut Rhabarbarum dicuntur , quia non possunt id cuius causa facta sunt , præ- stare . E quidem perfectionem ac finem amiserunt , quæ potestatem operandi per- diderunt : Hoc autem nihil aliud est , quām natura sua & essentia spoliatum es- se . Quod præclare Aristoteles loco su- pra ex primo Politicorum citato his ver- bis declarat : οὐ δὲ φύσις τέλος . οἷον γὰρ ἔκειται οὐδὲ φύσις πελεθώσις , ταῦτα φάμεν τὰ φύσιν οὐδὲ ἔκειται , οὐδὲ τὸν αἰθρόπου , ιατροῦ , &c . sed quid opus est proba- tione in re manifesta ? Oculum qui cernē- di vi orbatus est , verè & perfectè oculum esse nullus credit . Nomine quidem oculi nominatur , at re ipsa oculicadaver est , licet nutriatur & vivat . Non enim ob id oculos dicitur , quia vivit (perfectio oculi non est vivere , sed insuper videre , tunc generatio- nis suæ finem attigit , cùm virtute aspici- endi

endi præditus est) sed quia videt, aut videre potest. Quare si $\tau\eta \delta\eta \tau\eta \pi\epsilon\lambda\omega\sigma$ oculi est potestas videndi, per hanc merito definitur. Hæc enim ejus est finis, perfectio, essentia, & natura. Eadem est omnium aliarum rerum conditio, quæcunque certi operis causa conditæ sunt. Nec effectibus, sed formis definiuntur, quæ jam dicto modo definiuntur, nempe id agendi, cuius gratia à natura producta sunt. Qui opere vel operationibus in definitiobus utuntur, ex eis potentiam, quæ earum causa est, intelligunt. Cùm nomen notum est, id ponimus: cùm ignotum est, aut proprio nomine caret, formam sæpe, cuius facultas est, pro eo ponimus. Cùm eiusdem formæ plures sunt potestates, atque unam ab aliis distinctam volumus, ut possimus, describimus. In qua sententia cùm Galenum etiam fuisse demonstraverim, non facio à Philosophis discessionem ad medicos. Sed ambus consentientia dico. Absurdè, inquis, deinde formæ duæ substantiales in eadem re ponuntur. Idem ego quoq; & dico &

sentio. Addam hoc loco ne longior hinc nobis disputatio oriatur. formā ultimam seu perfectionem ultimam esse unicam in re qualibet, quæ reliquas, quæ pro formis habentur à nonnullis, sub aut in se contineat: At Galenus temperamentum putavit animam esse, & præter hæc inest anima. Itaque duæ insunt animæ. Non statim verum est, quod Galenus dixit: Temperamentum dicimus cum Aristotele (qui hac in re consentit, cum veritate divinitus nobis patefacta) accidens esse, non substantiam. Quod cùm dubitatione careat, nulla causa est, ut quæram, utrum metalla animata sint, propterea quod sunt temperamento suo quælibet prædicta. Utrū autem crescant, & verè augeantur, non constat liquido, ut affirmas, imò res longè aliter habet. Non enim aliter quām per additamenta partium augentur. Nec probant venæ tuæ quicquā. sed si quæ in gemmis tales apparent, vitio eis datur, alienique aliquid intervenisse significant. Quas in nobilioribus metallis venas vocant, venæ non sunt, sed vel meatus terræ, vel tractus in quibus apta continetur materia, ex qua

qua generari possit, si genitum non sit metallum, &c. Humanitas, ut genus, species, p̄dicadile, est vōnae intellectus, quibus res extra mentem nulla respondet. Uniuerſiale, inquit Aristoteles, vel nihil est, vel post res est, postquam scilicet animo à rebus abstraxerimus. Talia autem nō agunt, aut patiūtur. Nec ob id est inane cōmentum. Servit enim cognitioni nostræ plurimum (dum quæ natura in multis una est & à singularis est inseparabilis, & nec agit, nec patitur in singulis, ut universalis, sed ut est res singularis, ita quoq; agit) quod ne tu quidem ignoras: Humanitas igitur est homo seu hominis natura in mente per modum ideæ considerata: Atqui ideas quoque partem substantiæ non esse rerū, quarum sunt species, certum est apud omnes. Quî posset igitur hac forma extra res sive in animis duntraxat nostris inhærens morbos totius substantiæ nobis parere? Non etiam sic est in mente hominis humanitas, ut ei homo respondeat extra subsistēs, sed quæ in homine est singularis, in mente est universalis.

Quid in mentem venerit novi morbi

inventoribus nescio. Hoc interim probè
scio, morbos omnes (de corporeis loquor)
accidere primo corpori, non animæ seu
formæ: Item, quod morbi omnes neces-
sariò (cùm lædant actionem primo) in illis
rebus insint, sive illis noceant, quibus pri-
mo operationes anima efficit. Si enim in
re aliqua affectus aliquis sit, qui nihil isto-
rum lædit, dum hoc facit, morbus non e-
rit nominandus. Ergo cùm præter tria non
possunt ostendi, à quibus primo eduntur
operationes, quid est opus alia quærere?
Hoc ais quæritur potissimum: quod pri-
mo lædatur. Non enim inficiari quenquā,
quin temperamentū simul lædatur. Quæ-
ro ego rursus, an actio lædi possit, ante-
quam temperamentum vitiaverit. Si po-
test, nō erit temperamentum primum in-
strumentū animæ, & cæcutierūt in re tan-
ta omnium seculorum Philosophi & Me-
dici. Cùm temperamentum oblædi asse-
rimus, non de sola partium solidiorum
temperie loquimur. sed etiam spirituum.
& volumus intelligi de temperie actu,
quæ constat ex calore tum implantato-
rum influente. Falleris cùm putas ipsos
quo-

quoque authores confessuros simul cum tota substantia temperamentum necessariò destrui. Contrarium affirmant & scribunt, aliquando morbum totius substantiae actiones lèdere, temperamento nulla in parte adhuc offenso. Spiritui & calori cùm nocumentum afferri ajunt, bene dicunt. at temperamentum tunc non lèdi non ostendunt: Cùm verò animam primo offendì ajunt, quid dicant, nesciunt. Ego etiam sic nunquam sum argumentatus. In substātię totius morbis necesse est temperamentum destrui. Ergo temperamentum per se & primo lèditur: sic ego collico. Si actio à temperamento proveniens, vel si actio nulla lèditur à morbo nisi temperamentum aut fabrica, aut continuitas partis vitiata sit, certum est ab his primo actiones produci, & in his omnes morbos inesse, neque pro morbo censeri posse affectum, qui harum nihil lèdit. Cùm in accidentibus suffusioni similibus vitio ventriculi ortis scribis, affectionem eam oculorum non propriè dici morbum, neque ab ea oculos primo lèdi, rursus falleris. Ut de primo nihil dicam, quomodo dicas

tu affectum oculi primo non lædere oculos? Quo in loco prius est dispositio illa oculi, quam in ipso oculo? Verum est, quod causa affectionis in ventriculo prius colligitur, & inde in cerebrum oculosq; ascendet. Quo cum pervenit, oculū lædit, quæ læsio alibi prius non fuit: Solet hic vapor aliquando prius mordere os ventriculi: Consentire tum oculi solent. at non eodē ipsi posterius morbo laborare solent, quo ventriculus. Ut enim ventriculi, visio lædi non potest, ita nec oculi concoctio ea, quæ panem, vinum, carnes, vertit in chyllum, &c.

De contrariis mediis, & medio carentibus non reprehenderem tuam explicationem, si medium illud subjectum posset inveniri. Cum inquiebas, Natura nō posset de uno extremo transire ad alterum, nisi prius transeat ad mediū, videtur, nulla dari medio carentia contraria. Mors & vita non sunt contraria propriè dicta, sed privatio & forma, seu privativè oposita. Nos de propriè sic vocatis disserebamus. Ita simul ad alteram objectionem responsum habes. Quoniam neq; formas contra-

tua gratias tibi ago, sunt in ea quædā propter $\alpha\sigma\alpha\phi\lambda\omega\epsilon\alpha$ suspecta. Nā in hujuscemodi interdum vel minima maximum secum $\pi\pi\tau\chi\epsilon\pi$ $\eta\pi\tau\chi\epsilon\pi$ momentum afferunt. Vulneraria è pyrola non videtur mala, & sæpe $\sigma\mu\pi\theta\epsilon\alpha$ paucorum quorundam effectus præstat admirandos, artemq; dosum medicam, et si non tollit, ludit tamen, & non minorem usus, quàm rationis auctoritatē esse debere convincit. Anisum purgans meum non est, sed à Gallis acceptum, mutilata tamen, quam habes descriptio: ȝ Anisi ȝ iij. Sacchari ȝb. iij. Scammonii ȝ ij. Turpethi, Mastiches an. ȝ b. Zinz. ȝ iij. syr. el. de gémis, Diamarg. frig. an. ȝ ij. Coq. Saccharo q. f. Ejus dimidia parte excipe pulveres & anisum obducito, reliqua dimidia in crustato. Datur ad ȝ ij & tres. Guajaci corticum decoctum sitim quoq; restinguere, & quidem potenter, sæpe deprehendi. Ejusdem in calefaciendo non magnam esse vim, catholici usus multorū dierum innoxius satis convincit. Ego ȝ j. affundo ȝb. vi. aq. Coquo ad medietatem. Inest vis purgandi & aperiendi multò efficacior, quàm ligno, propter salis copiam.

Itaque quatuor doses habebis. Vinum
senex noster, à quo accepi, in invetera-
to tantum adhibebat. Dum sudor move-
tur, vinum non adeò convenire, uti etiam
ventum seu potius aërem liberiorem, ra-
tioni consentaneum. Sed dum purgamus
& vino & victu liberalius uti nil prohibet.
triginta & quadraginta diebus in iis, qui
bibere possunt, continuis uti nil vetat.
Corporis moles attenuatur, vires interim
constat. Victus ratio proba, libera tamen;
à sole tantum & vento & crapula caveant.
Hoc ipso commendabile medicamen-
tum, quod ejus usus à suspicione etiam
liber est. Pyrapyrum saponem nigrum
requirit, de altero illo, facticum intel-
ligo minium. Relinquendum per horas
ad minimum duodecim, & cùm cutis pla-
nè nigra est, tunc impressionem à me-
dicamento factam esse cognoscitur. Or-
bicularia ulcera requiruntur, quando
globulos cereos, vel pisa imponere vo-
lumus, ut diu aperta maneant. Plumbi
gravitas, et si aqueæ naturæ sit, ex par-
tium densitate provenire videtur. Chy-
mistis ab hydrargyro, & sulphure com-
busti-

bustili, hoc est, impuro. Sic autem appellant halitum duplicem. Nepenthe præter ea, de quibus ante, recipit coraliorum, margaritarum, croci & succini effientiam, hoc est, partes purissimas, arte elicitas, ut quantum ab opio & alterco periculi est, tantum præsidii à posterioribus istis. Congelantur itaque spiritus maligni, sed nativi corroborantur. Hac de causa per accidensab ipsius haustu sudor in quibusdam subsequitur: in pueris efflorescentia faciei, propulsis à centro ad extima vaporibus malignis. In fistenda alvo medicamentum præsentaneum. Fratri tuo, & generoso Dudichio officiosam ex me salutem. Salutant te nostri omnes. Vale. Basilea, vicesima sexta Iulii, Anno Salutis, LXXX.

D. Petro Monavio Theodorus Zingerus S. P. D.

Accepi tuas. Neque verò Nepenthes congelando tantùm, sed & dissipando & propellendo, confortatis visceribus præstat in Epilepticis. In pueris eo exhibi-


bito animadvertes faciem rubore suffundi. Congelari verò spiritus nihil mirum videatur, si momento etiā & à calidis frigida, & à frigidis calida, mediantibus spiritibus, hoc est, corporibus subtilissimis & agilissimis, coagulari animadverteris. Sic oleum Camphoræ ab aceto non tantùm, sed & ab aqua simplici. Oleum saturni à momento aquæ, oleum sulphuris crassius ab urinæ spiritu. Jucunda profectò Empiria, & ut ingenuè dicam, multis otiosis theoriis anteferenda. Rectè tu de moscho in uterinis removendo. De mumia non multum labore. Nam basi medicamenti, & iis, quæ adduntur oleis, utramque vim tribuendam censeo. Neq; verò margaritarum acredo te offendat, nisi etiam saliū, qui tamen non modò innoxie, sed & magnō cum commodo exhibentur. Magna sunt hæc omnia, & præclaras; sed ~~παρέξοδος~~ interim ~~πάρεξοδων~~ ea est, quæ Medicum facit ~~ειπήσοντος~~. In aniso purgante sc̄amonii molem ego neutiquā phorresco. Fac periculum. Descriptio genuina, quā misi, nisi quod inschedatua pro Turpeti, Mastichis an. 3. B. substitues an. 3. B. Nostri nō conficiunt, sed alibi

alibi confecto utimur. Catholici decocti
3 iiiij. infunde 3 fl. caryophyllorum cum 3
fl. syrapi rosati solutivi. Nihil eo mitius.
Nunc adeò quinquagenariū ex infectio-
ne hepatis calidioris, toto corpore scabio-
sum, per dies 40. feliciter eo purgavi. Lo-
co vini decocto leniore utentem, victus
reliqua ratione liberiore. Purgat tantum,
non prolicit sudorem. Neque est id pueris
vim quodammodo afferri putas, si rex sapientia
reddatur. Vis illi aperiens tanta est, ut pur-
gans ad intima deducere queat: neq; ve-
rò tanta, ut per sudorem purgare queat.
Indicat curatio ipsa, nec tu nisi experiare
credas. Vino non interdico, nisi penetra-
tionis majoris causa loco vini substituen-
dum videatur lenius decoctum. Guajacó-
ne verò vinum venenum? At & Matthio-
lus, & Massa vino Guajacano feliciter utú-
tur. Cratonis formulam probo. Multas
consimiles Massæ libellus de morbo Gal-
lico continet. Turpeti minoralis tot ferè
descriptions, quot capita. Neque ego de
effectu quicquā afferere possum, qui præ-
parationem ignoro. Unam habeo, partim
diaphoreticā, partim vomitoriam: sed ve-

hementem utramque. Itaque blandioribus & tutioribus uti malo. Diasulphuris descriptio non placet. Congeries illa medicamentorum mihi non placet. Si Theriaca sulphur præparatum excipias, cum castoreo, thure, camphora (quid enim crassa illa, & per secessum abitura moramur, margaritas, lapides) idem facturum putarim. Scilicet & pharmacopœorum lucro consulitur, & copia ingrediētum medicæ singularis memoriæ auctoritati, si Diis placet, consulitur. Etsi & illud verum est, Regem absq; satellitio in publico cōspici nō debere. Sic mores nostri. At Agesilaus etiam solus inter suos probabatur. Hæc ego ad epistolam tuam raptim. Vale, mi Monavi, & me amare perge. Basileæ Calend. Maji. Anno

x x c i.

F I N I S.



504 1417286216